# ACADÈMIA GISSENA
## RESTAURATA.
*ID EST*
## *SOLEMNIA,*
Quibus
# ACADEMIA GISSENSIS
OLIM à LUDOVICO II. HASSIÆ
Landgravio, Inclytæ memoriæ Principe, impetratis deſuper Privilegiis Cæſareis ampliſſimis, piè primùm fundata, poſtmodùm ob cauſas in publicum notas, ſuſpenſa, Autoritate & Munificentiâ incomparabili Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini GEORGII II. Haſſiæ Landgravii &c. præſentibus Sereniſſimis Principibus, Ordinibus Patriæ ac confluentibus undiq; tum exteris tum inquilinis, tertio Nonas Maji, Ann. 1650. ſplendidiſſimè *Reſtaurata* fuit, atque ſubſequente Reſtaurationem die Duo Doctorales Actus in Jure & Medicinâ celebrati fuerunt.

*INSERTÆ SUNT PASSIM*
*SERENISSIMORUM PRINCIPUM ALIORUMq;*
*ORATIONES, prout iis ipſi ACTUS*
*interſtincti fuêre.*

SCRIPTA

PER JOHANNEM TACKIUM, PHIL.
& Med. D. Profeſſorem Medicinæ & Phyſices Ordinarium,
atq; Medicum Haſſo-Darmſtatinum.

GISSÆ HESSORUM,
*Typis* JOSEPHI DIETERICI HAMPELII,
Acad. Typog. Ann. 1652.

Ad Bibl. Acad. Lud.

# AD

*SERENISSIMUM CELSISSIMUMQUE PRINCIPEM AC DOMINUM,*

# DN. GEORGIUM, II. HASSIÆ LANDGRAVIUM, COMITEM IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIGENHAINA, NIDDA, ISENBURGO ET BÜDINGA, &c.

Academiæ Giſſenæ Reſtauratorem Munificentiſſimum, Evergetam Meum ac Dn. Clementiſſimum.

*SERE-*

# EPISTOLA DEDICATORIA.

*SERENISSIME, CELSISSIMEQVE PRINCEPS ac Domine, Domine Clementiſſime, Evergeta munificentiſſime.*

*QVod divina Oracula de Noacho: hoc ipſum, aut fortè non abſimile Ethnici ſcriptores de Deucalione quodam, apud Theſſalos regnante prodiderunt. De hoc enim ſcripſerunt, quòd Promethei, qui ignem de cœlo in uſum humani generis deduxerat, filius fuerit, atq; cùm apud Theſſalos regnaret, ingenti diluvio facto, arreptâ navi, ſolus cum Pyrrhâ ſervatus, in Parnaſſumq; montem delatus, ceſſantibus aquis, Themiſtos oraculum adierit, conſultaturus de humani generis reſtitutione; atq; reſponſum hoc retulerit, ut oſſa Magnæ Matris cum Pyrrhâ ſuâ poſt tergum jaceret. Vnde Iuvenalis Satyrâ.1.*

—Deucalion, nimbis tollentibus æquor,
Navigio montem aſcēdit ſorteſq; popoſcit,
Paullatimq; animâ caluerunt mollia ſaxa,
Et maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas.

Videatur quoq; Ovidius lib. 1. Metamorph. qui omnia latè eleganterq; perſequitur.

*Idem Sereniſſime Celſiſſimeq; Princeps ac Domine, Domine* GEORGI, *Haſſiæ Landgravie, Domine & Evergeta munificentiſſime, de Te, tuoq; ſeculo dicere auſim. Quis Tu enim, ô Princeps? niſi*



*niſi illius Promethei, pientiſſimi Dn. Parentis tui* LUDOVICI II. *qui ignem; id eſt, cæleſtem doctrinam, tam ſanctè in Haſſiâ, erigendo pietatis & virtutum ſeminarium, Academiam, ante quadraginta annos, accendit, filius æmulus? Quis ille Deucalion? niſi Tu, ô Patriæ Pater? Per triginta ecce! annos tota Europa & Germania inprimis, univerſali quaſi cataclyſmo, belli ſcilicet inundatione obruta adeò laboravit, ut paucis evadere datum fuerit. At Tu, ô alter Deucalion, arreptâ navi Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, Eccleſiâ, verâq; illius inter furentes aquarum impetus, irarumq; plenos fluctus adhuc luctantis doctrinâ, Veteris inquam & Novi Teſtamenti ſcriptis, tanquam duobus remis uſus, ita ad portum delatus es, ut Te hodie non ſolùm ſalvum & incolumem videat Parnaſſus, ſed etiam totus orbis deprehenderit, Te ex Sapientiæ veræ conſilio, tanquam Themiſtos Oraculo, Reſtaurationem quandam belli diluvio ſubmerſarum Muſarum in Parnaſſo molitum fuiſſe. Projeciſti poſt tergum cum Pyrrhâ tuâ, hoc eſt, ardore cæleſtis doctrinæ, lapides, nempe omnes curas, quibus haud parum tempeſtate Germaniæ adhuc detonante, velut onere gravatus fuiſti, unde & Phœbus, Muſæq; omnes & Gratiæ tanquam ſingularis metamorphoſεως experimento prodierunt in lucem. Quis ille Phœbus, rogas, quæ illæ Muſæ & Gratiæ? Dicam paucis: ACADEMIA GISSENA, quam ſopitis paululùm inundatæ Germaniæ fluctibus tam operosè reſtituiſti, ut cùm Marpurgenſis jã extincta videretur, GISSENA tamen ex animo tuo Heroico inſtar Phœnicis renata ſurrexerit Academia, atq; nunc ſublime tollat ad aſtra caput. Vident hoc, & videbunt mortales, quàm diu Vniverſum hoc, quod Mundum appellamus, ad priſtinum ſuum, ex quo prodiit, confuſum chaos redire ceſſaverit. Audiverunt idipſum multi; & obſtupuêre, viderunt plurimi & admirati ſunt opus, quod omnem omninò fidem mortalium excedere videbatur. Experta eſt Haſſia clementiam*

*tuam ſingularem, & novos, anteà multis calamitatibus lachrymisq́; deformatos induit vultûs. Reſurrexêre docentes, advolarunt diſcentes, congratulati ſunt exteri, tripudiarunt indigenæ, & quod munificentiæ tuæ referrent, non invenêrunt æquivalens. Tu alter Henochus extitiſti, & nomen Domini aliaq́; ſapientiæ Oracula in Haſſiâ prædicari denuò juſsiſti; unde & cœlum perpetua merces aliquando Tibi dabitur. Tu inſtar Noachi utrumque mundum, pacatum nempe, & belli tempeſtatibus ferè obrutum ſalvus ſuperſtesq́; vidiſti, vineamq́;, hoc eſt, Chriſti Eccleſiam plantâſti. Rideant jam Te ô Princeps! divino amore ebrium, quicunque voluerint: aſt Chami quoque maledictionem incurrant iniquiſsimi. Tu Domui tuæ Haſsiacæ velut alter Abrahamus præcepiſti, ut ſervet mandata Domini, ad extremam uſq; poſteritatem; unde & progenies tua vivet in ſeculum ſeculi, & multiplicabuntur filii tui, ſicut ſtellæ firmamenti. Tu quod jam undiquaque terrarum obtenebrari & impugnari, non tamen oppugnari incipit verbum Dei, conſervâſti, atq́; alter velut Eſdras de novo lucere feciſti. Quis ergò Te non Sapientem dicat, cum hæc omnia ex Dei timore, qui initium eſt Sapientiæ, proveniant? Tu velut alter Salomon novum ædificâſti templum, Academiam dico tuam, è quâ non aliter, ac ex Hieroſolymis manabit verbi divini, omniumq́; artium & ſcientiarum ſplendor in univerſum terrarum orbem. Sed, quid omnia hæc recenſere tento, quæ ſat dignis encomiis deprædicari neſciunt. Cùm verò operoſum ſit opus quod perpetraſti, atq́; indignum, cujus memoria poſteritati erepta pereat; proinde ex juſſu Academiæ Tuæ, ô Princeps Illuſtriſſime! Actum Reſtaurationis, & ſubſecutæ ſtatim, tuâ ex munificentiâ duplicis in Iure & Medicinâ Promotionis Doctoralis, Solemnitates, eâ quâ potui brevitate in chartam conjeci, ut ſi non condignam, aliquam ſaltem exinde gratitudinẽ legendo grande manum tuarum per Dei*



*per Dei benedictionem, opus, nominisq́; immortalitatem, quam impetraſti, colligeres; unde & indignum fuiſſet, ſi alii cuidam, quàm Tibi,* ô Pater Patriæ & Reſtaurator *hunc mihi ab Academiæ Patribus impoſitum laborem, inſcripſiſſem.*

*Accipe proin, ô Atlas noſter! ô Noache noſter! ô Princeps noſter! ô Pater noſter! hoc quicquid eſt nominis tui monumentum, & immortale laboris tui, quem in Academiam Tuam impendiſti, decus, fronte ſereniſsimâ, atque quod adeò operosè condidiſti, Deo ita dirigente, opus, id eſt* Academiam *Tuam Giſſenam, clementiæ principalis radiis porrò conſerva & illuſtra: Meq́; etiam, quem inter Profeſſores tuos Medicinam docere, atque* Sereniſsimi *Celſiſsimiq́; Principis ac Domini, Dn. Ludovici Haſsiæ Landgravii, &c. Filii tui, Virtutum paternarum & principalium prorſus æmuli, per tot terrarum tractus peregrinantis primum, deinceps verò etiam* Sereniſsimæ *familiæ tuæ Medicum eſſe voluiſti, (pro quibus beneficiis immortales & humilimas ago gratias) eâ, quâ hactenus me affeciſti gratiâ & cle-*

*& clementiâ porrò amplectere. Vale interim cum Sereniſſima Familia tua, Princeps maxime! cui Deus benedicat in æternum, & ſalve. Dab. Giſſæ è Muſæo meo 1652.*

Abs Tuæ Sereniſſ. Celſit.

*Devotiſſimo & humili ſervo.*

Johanne Tackio, D. & Profeſſ.





# ACADEMIA GISSENA *RESTAURATA.*

POSTQUAM, remoto diſcordiarum metu, & ſopitis Magnatum certaminibus, exercere pacem vacuum fuit, quam plurimæ turbæ, ſeditiones, & ad poſtremum triginta annorum bella in Germaniâ turbaverant; dum haud pauci potẽtes, & alii quidem alia adfectabant, immortalem Patris Patriæ titulum, quem Imperii ſui à primordio, totius populi & omnium bonorum civium, atq; deinceps totius Haſſiacæ Nobilitatis applauſu, magno ſuo encomio geſſerat Sereniſſimus atq; Celſiſſimus Princeps ac Dominus, *Dominus Georgius II. Haſſiæ Landgravius, Comes in Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhainâ, Niddâ, Iſenburgo & Budingâ, &c.* Sic quidem inter cætera etiam conſervatum, illuſtrare atque de novo ſibi comparare magis aggreſſus eſt, ut non labaſcentem ſolùm & concuſſam hincinde variis tempeſtatibus Rempublicam ad primum nitorem ordinaret, ſed & literarum ſtudia, quæ ob inteſtina *Haſſiæ* diſſidia, haud ita pridem, torrentis modo præcipitata cernebat, & quorum causâ juventus in conſulto errore

ſine Rectoribus vagari, atque otio, neglectis ſanctioris literaturæ, & Facultatum ſtudiis corrūpi cæperat, vigori amiſſo reſtitueret. Illa enim eſt Principum Natura, quos à multis retrò annis coluit Haſſia, quique per longam Avorum ſeriem à *Carolo Magno*, uſq; ad hæc tempora, genus ducunt, eſſe magnâ vi animi & corporis, ingenio excelſo & bono: ab adoleſcentiâ virtutum primordia in literis aut armis quærere, pacem & concordiam ubique gratam habere. Corpus deinde, ubi adoleverint, aſſuefacere laboribus & vigiliis; animum ad quævis oblata promptū, conſtantem, fortem, intrepidum, apertum in pectore gerere, & ad Reipublicæ moderamina intentum, magnanimum in adverſis, audacē in deſperatis, fortem in præſentibus, prudentem in dubiis, moderatum in proſperis, benevolum in vicinos, clementem in ſubditos. Sapientiæ plurimùm, Eloquentiæ multùm poſſidere. Pietatem denique, quod primum omnium eſt, & religionem acerrimè colere, atque defendere. Prout verò ſuprà memorata omnia in hoc Principe coibant: ita, quò religionem, à proavis tantoperè amatam, & ea, quibus hęc ad poſteros intemerata propagatur, religioſiſſimus conſervaret, inauditâ, calamitoſiſſimis per Germaniam exactis tēporibus, largitione, avitā Academiam inſtruere & reſtaurare animus erat. Neq; hujus ardor ſolùm, & inclinatio ad virtutē: ſed, quod dixi, res ipſa hortari videbatur & neceſſitas, quoniam de moribus & ſtudiis actum fuiſſet, bello jam omnibus confuſis & conſternatis, niſi inſtituta *Majorum*, quæ domi, militiæq; tantoperè æſtimaverat, repetere, atq; pacatis jam rebus ex deformatâ pulcherrimam literarum Rempublicam condere Princeps conſtituiſſet. Quæ omnia, poſtquàm univerſi & ſinguli, ad quos ſancti iſtius inſtituti fama pertingere poterat, reſcivêre, res gratiſſima, gaudium ingens,



ingens, & bonum improviſum, ad hoc, pars civium in oppidis plurimos coëgere, ut pro ſe quiſque ſtuderet, magnum ſibi commodum promittentes, ſi oppidani diverſis in locis eam intra mœnia ſua recipere poſſent. Quatuor civitates concurrebant, quarum quælibet proficuo auſu Principis animum ſibi devincire ſtudebat, *Alsfeldia*, *Gronberga*, *Darmſtatum*, & *Giſſa*. Iſta fidem, quam contemptis corporis fortunæque bonis in periculis ſervâſſet, & loci nobilitatem, ob quam *Adelsfeldia*, id eſt nobilis campus, dicta fuerit: illa circumjacentis campi amœnitatem, annonæ ubertatem, urbis antiquitatem, cauſabantur. Sed quòd *Alsfeldia* in finibus Haſſiæ ſuperioris ſita eſſet: hæc cœli rigidioris inclementiam nimiū experiretur (nam ad radices montium, qui *Wetteraviam*, muri inſtar, ſeptentrionem verſus ambiunt, & ab aucupio nomen habent, quique in aëra exporrecti, interdum nubes, *Alpium* inſtar, ſuperare videtur, unde etiam, vel æſtate jam ingruente, ſummitates eorum nive ſepultæ adhuc apparent, excurrit) parùm profecêre. Lis ergò erat inter duas reliquas. *Darmbſtatum quidem*, quod tribus à *Francofurto*, totius Europæ emporio celeberrimo, meridiē verſus videt, urbs exculta, & in planitiem extenſâ, quæ ex unâ ad *Meliboci* & *Intuergorum* montana, atque ex altera parte, ad *Rhenum* uſq;, duûm milliarium intervallū complectitur, ædificiis haud vulgaribus exſurgens, cœli clementiam, loci pulchritudinem, tellurem vini feracem, omnium deinceps rerum copiam prætendere cœpit. Nam ad Meridiem, *Palatinatum*, & *Neccarum* fluvium, ad Occidentem *Rhenum*, ad Septentrionem & Orientem, *Mœnum* & *Franconiam* contiguam habet, poſtremò labores, & damna, quæ ferociente milite Gallo perpeſſa eſſet, pro aucupandâ Academiâ objicere. At, quòd Principum ſedes, longo antè tempore


pore

pore eſſe conſueverat, nec loci capacitas ad multitudinem ſufficere videbatur, variis conquiſitis ſuper arduo illo opere conſiliis, *Giſſa* quàm maximè idonea credita eſt. Vincente inprimis Illuſtriſsimi & Celſiſſimi Principis ac Domini, *Domini Ludovici Iunioris*, *Principis*, nunc inter Divos, ſummæ memoriæ & venerandæ recordationis, laudatiſſimo exemplo, qui annis antè quadraginta tribus eâdem in urbe Palladium erexerat, atque olim *Martis & armorum* alumnam etiam *Artium & Muſarum* ſedem *Rodolphi II. Cæſaris Auguſti* conceſſu & auctoritate *Giſſam* eſſe juſſerat. Hîc operæ precium judico, paucis de urbe hâc, atque Majorum inſtitutis, quomodo eam habuerint, quantamque reliquerint, & ut paulatim in fortiſſimum atq; celeberrimum *Martis & Apollinis* propugnaculum coaluerit, diſſerere. Ea verò, ſicut ego à plurimis accepi, à *Divæ Eliſabethæ* temporibus, uſque ad hæc, *Haſſiæ Principibus* paruit, & tenero initio ſumpto, è villâ, puta, & domibus quibuſdam humilibus, ſeu caſis, in pulcherrimum excrevit oppidum, quod mœnibus includi, atque à *Philippo Heroë Magnanimo* vallo propugnaculoque muniri primùm, dein, eodem à *Carolo V. Imperatore* deſtructo, à *Ludovico* reparari, atq; incredibile memoratu, intra quinquennium in altiſſimam molem reſurgere cœpit. Sita eſt in meditullio fere *Haſſiæ*, ſex à *Francofurto* meridiem verſus, millibus, tribus verò, à *Marpurgo* ad Septentrionem, & uno milliari occaſum reſpiciens ab *Imperiali Wetzflariâ*, in planitie declivi, & aquis madente, non ingratâ tamen, namque *Lanus* vix ad lapidis jactum mœnia præterfluens, præcipitique murmure occaſum petens, hoc efficit, ut quis dubitare poſſit, felicior, an pulchrior ea ſit regio, quæ non fertilioris ſoli glebis ſolùm cum innumeris certare, ſed & adſpectus jucunditate, quam ad occidentem, arces, in montibus



tibus ad dimidium milliare, ſive ſecũdum ab urbe lapidem exſurgentibus, adeò augent, victrix præ cæteris eſſe poſſit? Unde neque grave fructibus pretium, neque piſcium defectus, neq; aëris ſalubrioris deſiderium; volucrum quoque & ferarum in vicinis ſaltibus plura genera, omnium deniq;, quæ ad delitias humanas ocioſè & curioſè quæruntur, ſatias. Ipſe urbis ambitus à circumeuntibus horæ unius ſpacium requirit. Domibus antehâc ſuperba non erat: at nũc, neque ædificiorum, quæ à primâ Academiæ Introductione urbem, ejuſq; ſplendorem auxêre, neq; viarum ſtructurâ infima credi debet, ut potius *Magnificentiâ Collegii* LUDOVICIANI, quod cum exquiſitis & ſuperbis Italorum operibus non comparari, ſed vel certare auſit, efferat alta caput. Hactenus enim in Academiis aliis, quibus *Germania* felix luxuriavit, nunquam ejuſmodi Collegium eſſe aut fuiſſe compertum, ut taceam locupletiſſimũ armamentarium, & quæ alia *Martis & Artis* honos ſplendida introduxit. Neque civitas laudis egena. In tantâ, tamque excultâ urbe, id quod viſu, audituq; jucundiſſimum, *Senatus* triplex. Unus qui Juridicundo Principis vicem gerit. Alter qui Academicos; Tertius qui cives moderatur. Felix Reſpublica in quâ & cives honeſti, legibus parent; & Philoſophi ad clavum Reipublicæ ſedent, omniaque ad Juſtitiæ ſtateram examinantur. Neque tamen militi gregario & ad cuſtodiam munimẽti dicato ſuus Senatus, ſua deeſt Reſpublica. Imperat huic *Vir Strenuus belliq; in conſiliis potens*, homo germanæ integritatis & fidei, ingenii acuti, animique fortis, pacis & literatorum amicus, *Iohannes Guntherus à Brenhauſen* dictus, ſupremus Vigiliarum ſeu excubiarum Præfectus, cujus in belli conſiliis prudentiam & in Architectonicâ induſtriam inter cæteras virtutes ſuſpiciunt, quotquot à meridie ur-

bem ingrediuntur, ut proin illæ ſqualoribus obſitæ paludes,quæ ante hæc tempora viatori in urbem ingreſſum remorabantur,nihil cuiquam nunc obeſſe deprehendantur. Falsò ergò conquereretur quiſpiã de loci hujus naturâ, quòd inſalubris,fructûs perexigui, cœli potiùs inclementiâ ærumnoſa, quàm fertilitate beata ſit. Nam contrà reputando,præterquàm quæ recenſui etiam virtute regitur, quâ quiſpiam mortalium neque majus aliquod neq; præſtantius inveniet. Nam vitæ in eâ felicis imperium eſt, ſub quo ad gloriam virtutis viâ graſſari licet, quam qui occupaverit abundè potens & clarus erit. Neque fortunâ egebit,quippe quæ probitatem,induſtriam,aliasque artes bonas neque dare,neque eripere cuiquam poteſt. In hâc non perituræ acquiruntur divitiæ,animi puta: Nam, quæ corporis ſunt, & hujus naturam ſequuntur, de mortalitate participant,& brevi dilabuntur,quorum utpote initium & finis eſt. At ingenii egregia facinora, ſicut anima, immortalia ſunt,ortusque & occaſus,aut etiam ſenectutis neſcia. Immoror fortè diutius in urbis hujus umbrâ, quam alii ante me rectiùs fortè depinxêre, meliusque aliquando alii poſt me. Pauca memorabo. Academiam in hâc, id eſt, Dei ſedem quilibet inveniet,quo unico omnes, quas de urbe dotes prædicavi, velut compendio complector. Poſtquàm enim æternâ laude dignus Princeps ac Dominus, *Dominus Georgius Haſſiæ Landgravius*, &c. *Giſſam* ſuam literarum ſtudiis apprimè convenire advertit,rem tantam omni morâ excuſsâ patravit,quantam omnes boni ad ſeram uſq; mundi ſenectã non morituris,continuâ prædicabunt ſerie, encomiis, id eſt, divulgato per Germanum orbem programmate publico, eoque Francofurti etiam affixo, hoc de reſtaurandâ *Giſſenâ Academiâ* conſilium omnibus vicinarum & latè patentium terrarum incolis palàm fecit. Nundinæ enim erant vernales,quo tempore in imperiali & ampliſſimâ urbe ex diſſitiſſimis etiam regionibus magna mortalium ſolet eſſe frequentia. Programma verò hoc erat.



VOn Gottes Gnaden/ Wir Georg/ Landgraf zu Heſſen/ Graf zu Catzenelnbogen/ Dietz/ Ziegenhain/ Nidda/ Yſenburg vnd Büdingen/ ꝛc. Fügen hiermit Männiglich/ deme dieſes vorkompt/ zu wiſſen/ Als in Vor⸗Jahren/ der Hochgeborne Fürſt/ Herr Ludwig der Jüngere/ Landgraf zu Heſſen/ Graf zu Catzenelnbogen/ Dietz/ Ziegenhain vñ Nidda/ ꝛc. Vnſer in Gott ruhender geliebter Herꝛ Vatter/ hochlöbl. Andenckens/ auß Chriſtlichẽ Fürſtlichen Gemüth/ zu Befürderung der Ehre Gottes/ vnd deß gemeinen Nutzens/ eine Vniverſität vnd hohe Schul zu Gieſſen auffgerichtet/ dieſelbe mit ſtattlichen Güthern vnnd Freyheiten begabt/ auch über dieſelbe vortreffliche Keyſerliche Confirmationes vnd Privilegia erhalten: Welche Vniverſität dann/ auß vnzweifflicher Göttlicher Gnad vnd Benedeyung/ ſo wol durch hochſel. bemeltes Vnſers Herꝛn Vatters trewe Vorſorg/ als auch vermittelſt berümbter/ in allen Facultäten vnd Diſciplinen erfahrner tapfferer Profeſſorum trewlich vnd vnverdroſſentlich angewendeten Fleiß vnd Geſchicklichkeit/ innerhalb wenig Jahren/ zu ſolchem Auffnehmen/ Frequentz/ Ruff vnd Flôr gelanget/ daß inn⸗ vnd auſſer dem Heiligen Römiſchen Reich/ Theils auch in außwertigen Königreichen vnd Provincien ſich derſelben Nutz vnd Lob weit außgebreitet/ wie deſſen noch heutiges Tages gnugſam Zeugnuſſen vorhanden ſind/ vnd ſolcher Academiæ Alumni faſt in alle partes Chriſtiani Orbis ſich getheilt/ vnd in Geiſt⸗ vnd Weltlichen Sachen/ vornehme

nehme Aempter rühmlich verwaltet haben / folgends aber von Seiner Vätterlichen Gnaden / ſolche Univerſitat / auß bewegenden Urſachen ſuſpendirt, und hingegen die Marpurgiſche Academia reſtaurirt, ſolche auch / nach Seiner Hochſeeligen Vätterlichen Gnaden / Tödtlichen Hintritt / von Uns / wegen einigen erfolgten Abgangs der Univerſität Gefälle / reichlich dotirt, mit anſehnlichen Begnadigungen gezieret / und bißhero erhalten worden. Immittelſt aber bey denen bißherigen unruhigen Kriegsläufften / allerhand mutationes, und darunder auch Verhinderungen der Studiorum erfolgt / biß endlich in Unſerm Fürſtlichen Sambt-Hauß Heſſen ein Accord unnd Vergleich auffgerichtet worden. Daß wir dieſem allem nach auß Chriſtlichem Eyffer / unnd Lands-Fürſtlicher Sorgfalt / nicht allein vielfaltig zu Gemüth gezogen / unnd bey Uns bedächtlich erwogen / welcher geſtalt Uns der Allerhöchſte / in den Fürſtlichen Standt / und das Ampt der hohen Obrigkeit geſetzt / und was Uns dannenhero Göttlichen Gebotts / und Unſerer Hochlöblicher Vor-Eltern und Vorfahren / Fürſten zu Heſſen / Preißwürdigen Exempeln nach / ſonderlich auch wegen Auffricht: und Erhaltung der zerfallenen und in Abgang gerathenen Kirchen und Schulen / und zumahl Unſerer Univerſität / als eines Edlen gemeinnützigen Kleynods / unnd daß die Chriſtliche wahre und reine Lehr deß Worts GOttes / auch Tugend / Geſchickligkeit und gute Sitten / ſo wohl in Unſerm Fürſtenthumb / Graf- und Herrſchafften / Landen und Leuten / zu zeitlichem unnd ewigem Beſten erhalten / als auch auff die liebe Poſterität fortgepflantzet / und dadurch auch ſonſt der Chriſtenheit und gemeinem Nutzen beſtmöglichſt gedienet werde / oblige / was vor unaußſprechlichen Nutzen / Segen / Glück / Heyl / Lob und Ehr / dem allgemeinen Vatterland / ja gar Königreichen / Chur- und Fürſtenthumben / von wohlbeſtellten

Hohen



Hohen Schulen zuwachſe und daher / Uns höchlich und trew-eyfferig anliegen laſſen / wie Wir obbeſagte Univerſität an einen bequemen Ort / anderwärts reſtauriren und wider auffrichten möchten.

Wann Wir Uns dann nunmehr auß Chriſtlicher Landsvätterlicher Vorſorg entſchloſſen / dem Allerhöchſten zu Lob / Preiß und Ehr / der Chriſtenheit und gemeinem Nutzen zu gutem / Unſerm Fürſtenthumb / Graf: und Herrſchafften / Prælaten / Ritter: und Landſchafft / unnd allen Unſers Lands Einwohnern / zu gedeylicher Wolfarth / beſagte Univerſität / dieſer Zeit / in Unſerer Statt und Veſtung Gieſſen reſtaurirn unnd wider auffrichten zulaſſen / zu welchem End Wir dann den fünfften nächſtkünfftigen Monats Maji / dergeſtalt beſtimpt / daß alsdann ſolcher Solennis Actus Reſtaurationis celebrirt, zuforderſt der Allerhöchſte umb Verleyhung ſeiner unerſchöpflichen Gnad und Benedeyung / zu ſolchem heylſamen gemeinnützigen Werck angeruffen / die Univerſität in beſagter Unſerer Statt unnd Veſtung wider auffgerichtet / ein Rector Magnificus geordnet und vorgeſtellt / demſelben die Sceptra Academica, ſo dann die Matricula, Sigilla & Claves pro more behändigt / geſchickte / erfahrne / Trewfleiſſige und tapffere Profeſſores in omnibus & ſingulis Facultatibus nominirt und beſtellt / die Univerſität mit legibus ac ſtatutis munirt unnd verſorgt / unnd was hierbey ſonſten nöthig ſeyn wird / beobachtet unnd zu Werck gerichtet werden ſoll. Als haben Wir dieſem allem nach den docentibus ac diſcentibus, wie auch ſonſt allen / denen diß Patent zu leſen vorkompt / ſolches intimiren und wißlich machen / auch dieſelbe hiermit gebührlich unnd gnädig erſuchen wollen / daß ſie ſolchem ſolenni actui, auff die obbeſtimpte Zeit beywohnen / jhre gute Vota und Wündſche mit beytragen / auch Unſere / zu Widerauffbringung ſolcher Un-

 ſerer

ſerer Vniverſität führende wohlmeinende intention darab erkennen: Inſonderheit aber wird die ſtudirende Jugendt hiermit erinnert/ ſich bey dieſem Actu fleiſſig einzuſtellen / ſolche groſſe Gutthat/welche Gott verleyhet / mit Danck anzunehmen/ bey ſolcher Vnſerer Vniverſität vnnd der Profeſſorum in allen Facultäten vnd Diſciplinen vorhabenden Lectionibus, Diſputationibus vnd andern Exercitiis Academicis, ſich zu jhrem ſelbſt eygenen Beſten / einzufinden / vnd mit gebührendem Fleiß/guten Sitten / vnſträflichem Wandel / vnd Sambluug herrlicher Qualitäten/ ſich recommendirt vnnd glücklich zu machen.

Der Allerhöchſte/als der einige Geber vnd Verleyher alles Guten / wolle diß heylſam Werck von oben herab ſegnen / auff daß alles zu ſeines Heyligen Nahmens Ehre / der Chriſtlichen Kirchen vnd dem gemeinen Nutzen/wie auch dem gantzen Vatterland zum Beſten / auch vielen zu Beförderung jhrer zeitlichen vnd ewigen Wohlfahrt gereichen möge. Vrkundlich Vnſers auffgetruckten Fürſtlichen Secrets, So geben vnd geſchehen zu Darmbſtatt / den zweyten Aprilis / Anno 1650.

Sic magnus & clarus anteà Princeps, major atq; clarior evaſit. Omnia namq; virtutis erant, ut non incolæ ſolùm & accolæ, ſed & peregrinæ gentes ob bene conſulta Principem admirari, pauperes & locupletes ad cœlum ferre, auſum deinde immortalem nominare, poſtremò mentem ei divinam eſſe, aut omnia hæc divino nutu accidere, amici & hoſtes credere inciperent.

Tertius ergò Nonas Maji ſolennitati & feſtivitati introductionis Academiæ Giſſenæ inſcriptus erat. Nec mora. Conſcripti Academiæ Patres, qui vel antehâc Marpurgi eandem provinciam adminiſtraverant, vel de novo accerſiti aderant, fidem Academiæ dabant, & reliqua, quæ in rem præ-



præſentem neceſſaria videbantur, curabant pro viribus. Quos inter Vir Magnificus & Nobiliſſimus *Dn. Iuſtus Sinold* cognomento Schütz / Sereniſſimi & Celſiſſimi Heſſorum Principis Conſiliarius intimus, atque Dicaſterii & futuræ Academiæ Giſſenæ Cancellarius, ut idem immortale laudis ſtudium atq; inſtitutum Principis per literatum quoq; orbem iret, ſequens programma, valvis templi, quod Giſſæ eſt, adplicuit.

A. D. T. O. S.

*SERENISSIMI ATQVE CELSISſimi Principis ac Domini,*

DOMINI GEORGII, HASSIÆ LANDGRAVII, COMITIS IN CATTIMEliboco, Dietz, Ziegenhain, Nidda, Iſenburgo, Budinga, &c.

Conſiliarius intimus, Regiminis atque Academiæ Giſſenſis Cancellarius & Profeſſor.

*IVSTVS SINOLD COGNOMENTO* Schütz/ *ICtus omnibus lecturis ſalutem D.*

SEmiſeculum ferè eſt, cùm impetratis in id à RUDOLPHO II. Romanorum Imperatore privilegiis ampliſſimis, Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus LUDOVICUS, Haſſiæ Landgravius &c. hâc in urbe Academiam erigeret. Conſilio, ut inter cætera, quibus inclytus Princeps ſibi venerationem poſteritatis meruit, magno: ita ſucceſſu atque bono in Patriam universámq; Rempublicam literariam

riam maximo. Hinc enim ubiq; tot præclarorum ingenio-
rum in eam gratæ adhuc extant laudes, atq; revera tot inde
orthodoxæ Eccleſiæ prognata lumina, maximisq; cæteris
rei civilis muneribus pares, omniq; rerum & ſcientiarum
genere præcellentiſſimi prodière viri, ut nulli gloriam hanc
invidere neceſſe habeat; eo verò majorem accipiat, quo cę-
teræ temporis privilegio, hæc ſolâ virtute valuit. Sanè quã-
tum inde rebus patriis acceſſerit, vel teſtari poterunt ſtudia
continua, precesque ſupplices, quibus ſubditorum optimi,
poſt evulgatam DEI beneficio cùm in Imperio Romano,
tum præſertim etiam in Haſſia refloreſcentẽ pacem ac con-
cordiam, Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini GEOR-
GII, Haſſiæ Landgravii, Comitis in Cattimeliboco, Decia,
Zigenheina, Nidda, Iſenburgo & Büdinga, Domini noſtri
clementiſſimi benignitatem & curam de reſtauranda Aca-
demia hactenus interpellârunt, iiſdémque illam adverſus
graſſantem ſecuritatis, ignorantiæ, peſſimorum dogma-
tum, atque corruptis cum moribus libidinantis novitatis
tabem veluti unicum expetière amuletum. Quæ equidem
apud Principem, cujus amor in bonum publicum, favor er-
ga literas, munificentia in literatos conſcium jamdudum
orbem habet, prono accepta fuiſſe animo, nemo dubitare
poterit. Vera quoque dici, & quò hæc mala contractâ li-
centiâ temporis confidentiùs ſerpere quotidiè videbantur,
eò promptiori virtute occurrendum eſſe, unuſquiſq; inter
optimas remedii partes numerabat. Urgebat laudatiſſimi
Principis ac Dn. Parentis inſtitutum, quod etſi faciliora tẽ-
pora invenerat, eâdem tamen ſe ſucceſſoris virtuti com-
mendabat efficaciâ, quam ad infringenda incerta & iniqua
noſtrorum ipſa cœli providentia deſtinatam quaſi, tot aliis
hactenus factis ſubditorumque ſolatio conſtiterat. Vicit
itaq;



itaq; omnes, quæcunque obſtabant, difficultates Patriæ,
cujus in omnibus conſiliis, apud Celſitudinem ſuam ſum-
ma ratio eſſe ſolet, commodum tandem & neceſſitas. Huic
enim non alii cauſæ debetur, quòd nuper unanimi ejus ap-
plauſu exceptum decretum, quo Academiam hanc in hâc
ipsâ urbe iis, quibus ante floruit, auſpiciis reſtaurari juſſit,
dignisque providit mediis. Huic, quod, ne deſideratiſſimo
bono ulterius careamus, nunc diem quintum Menſis Maji
ſolennibus tantæ rei peragendis dicatum, mandato & auto-
ritate Celſitudinis ſuæ promulgare debeam, prout ipſamet
etiam propediem proprio nomine intimabit. Quo die, præ-
miſſo ardentiori divini numinis cultu, ejusque pro felici
ſucceſſu imploratâ ope, de Academiæ inſtituto ſpeciatim
diſſeretur, Rector denominabitur, Legumque ac Statuto-
rum publicatio peragetur, conferentur ſequente honores,
atque immunitates Doctorales, Candidatis, quibus ante-
hâc eos impetrandi in Academiâ Marpurgenſi à nobis li-
centia obtigit, & quos ut filios noſtros, annuente quoq; ſic
alterâ parte, nobis vindicamus. Tertiâ & ſequentibus
Profeſſorum unuſquiſq; ſuas lectiones, & quid in poſterum
præſtiturus, ſolenni auſpicabitur oratione. Quas demum
excipient diſputationes, ut vocant, in omni diſciplinarum
genere, in quibus reſpondentium partes tuebuntur juve-
nes eruditi: Ad quos, ſicut & reliquos actus ſimul omnes li-
teratos invitamus hiſce, ac ut ſuæ præſentiæ honore ſtudia
juventutis excitare noſtrisque favere conatibus velint, eâ
quâ par eſt, humanitate ac amore rogamus, oblatione nos
devoventes reciprocâ ad idem humanitatis officium, quo-
ties nobis erit occaſio.

Tuum autem inprimis erit Flos juventutis noſtræ ac
ſpes melioris ſeculi, frequenti adeſſe concurſu, & juſtâ ani-

 mide.

mi devotione expendere beneficium, quod non niſi altæ pacis & abundantiæ rerum omnium honeſtamentum furẽtibus adhuc malis, tantâ curâ, tantâ liberalitate hic TIBI exhibetur, perpetuâ agitare mẽte, quæ parentum vota, patriæ pericula, præmiorum decora ſuadent, expoſcunt, Viros, quorum meritis ac fidei docendi munus concreditur, venerari obſequio, virtutum æmulatione, morum innocentiæ vitæque modeſtiâ certare, ac ita demum ſtatuere, nihil magnum eſſe, niſi quod ſimul & placidum & probum, ſicque veſtra cum laude, veſtro commodo, hujus quoq; prudentiæ ac cultioris doctrinæ ſacrarii dignitatem in animis hominum, in æternitate temporum, famâ rerum perennaturam eſſe. Giſſæ pp. ult. Martii, Anno recuperatæ gratiæ 1650.

CÆterùm ne tantus conatus ſucceſſu careret, impedimentis omnibus obviã ire devotis precibus, Sereniſſimo Celſiſſimóque Patriæ Patri viſum fuit. Namque ſi illis, à quibus veri Numinis cognitio exulavit, nihil prius, aut majus extitit, quàm accenſo thure rerum ſuarum molimina auſpicari, quis improbaverit, omnibus per Haſſiam Eccleſiarum præſidibus, atque divinorum conſiliorum præconibus demandâſſe Principem, pio ſanè auſu atq; propoſito, ut concionibus de Academiarum neceſſario uſu habitis, ſupremum Numen inſimul fatigarent, ne inſtituto tam ſancto deeſſe, ſed eidem favere, atque idipſum firmum ratúmq; de ſede & habitatione ſuâ excelsâ habere velit. Dictum factum, Et die quidem Aprilis 28. Paſtorum omnium, plebiſque totius, atque omnium piorum vota & preces pro Academiâ patriâ ad cœlum corde uno, unóq; ore ibant, ut tantò minùs de proſpero eventu dubitare quiſpiam potuerit, quantò minùs Salomoneas preces irritas olim fuiſſe Hierofolymis compertum eſt. Sic ergò Princeps animo & cultu divino armatus, audax ibat ad opus, Chriſtiano orbi utile & ſalutare; qui neq; aliter potuiſſet par eſſe tanto oneri, niſi ſe & ſua conſilia ad ipſum hoc pacto præparâſſet.



Eunte ſic fama, neq; in aulâ Principis minor quies erat. Quò enim Privilegia & Jura Academiæ Giſſenæ reſtituerentur, quæ hactenus in Sereniſſimi Principis poteſtate per multos annos requieverant, & feſtivitas tantò illuſtrior eſſet, Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus *Georgius*, Haſſiæ Landgravius &c. Illuſtriſſimum Natorum par, quod actui præeſſet ad hoc delegit, Illuſtriſſimos & Celſiſſimos Principes ac Dominos, Dn. *Ludovicum*, & Dominum *Georgium* Fratres Germanos, Haſſiæ Landgravios, Comites in Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhainâ, Niddâ, Iſenburgo, & Budingâ, Principes optimos maximos, & à Parentis atque Avorum virtutibus haud degeneres. Ergò diu expectata dies inſtabat, cùm ecce! novem milliariũ itinere è Darmbſtato emenſo, Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principes urbi, quam jam tum confluens à finitimis locis mortalium magnus numerus impleverat, appropinquâſſe nunciantur. Cõcurrunt Academiæ reſtaurandæ Profeſſores, & ut patronos ſuos clementiſſimos debitâ veneratione excipiant, in aulæ areâ humilimè expectant Principes, quos jam tum, exploſis in lætitiæ ſignum tormentis bellicis, urbs undiquaq; vivax intra mœnia ſua receperat. Aderat cum ipſis Illuſtris & Generoſiſſimus Dominus, Dominus *Georgius Erneſtus Comes ab Erpach, & Dominus in Breuberg*: Vir deinde Generoſus & Nobiliſſimus Dn. *Otto Hermannus à Schlitz dictus Görtz*, Haſſiæ Proprinceps: Magnificus item & Nobiliſſimus Vir Dominus *Philippus Ludovicus Fabritius*, Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini *Georgii* Haſſiæ Landgravii, &c. Conſiliarius

rius intimus & Cancellarius: Nec non *Henricus Hermannus ab Oenhauſen*, Vir genere & virtute nobiliſſimus, Comitatus Niddani Præfectus, homines omni laude ſuperiores, quorum ingenium & virtus adeò in ſubſequentibus oculis cujuſvis ſubjicientur, ut hoc loco vacuum cenſeam & otioſum, calamo adumbrare, quæ omnem ſtyli felicitatem excedunt. Sequebatur hos magnus de Nobilitate Haſſiacâ numerus & ſatellitium tantis Heroibus dignum. Jamq; celſiſſimum hoc par, reliquoſque aula intromiſerat: jam equo deſilientibus Senatus Academicus inclinatis poplitibus humilitatis ſignum dederat, cùm Vir Magnificus & Nobiliſſimus *Dn. Iuſtus Sinold cognomento* Schütz / Academiæ & Regiminis Giſſenſis Cancellarius, ſagacis vir prudentiæ & promptiſſimi eloquii venuſtiſſimâ Oratione, ut par erat, loqui, atq; Principes dictâ ſalute ita affari cœpit.

SAlvete Sereniſſimi ac Celſiſſimi Principis, ac Domini, Domini GEORGII aurei Patriæ noſtræ Patris, Filii chariſſimi, Celſiſſimi ac Illuſtriſſimi Principes, Principes ac Domini clementiſſimi, ſalvete iterum. Ut celſitudines veſtras pro debita reverentia, & verbis congruis exciperem, ab Academia veſtra juſſus ſum, ſed fateor mearum non eſſe virium, nec ingenii, id apud nominis veſtri fulgorem, politis quamlibet verbis, conſequi poſſe. Verùm enim verò quod ſuper eſt, meæ exiguitati, Celſitudines Veſtras, & in iis Sereniſſimum noſtræ Patriæ Principem, ac Patrem, quantâ maximâ veneratione, quantâ obedientiſſimâ ſubjectione poſſum, excipio, & in genua, ut addecet, humilimè appronatus conſaluto. Felicem fortunanatúmq; hunc diem arbitror, quomodo enim non felix, qui tot gemitibus optatus eſt, quo non tantùm Celſ. V. de immenſo erga patriam affectu, laudatiſſimo erga religionem & Eccleſiam zelo, de promptiſſimo erga literas ſtudio ipſimet teſtimonium locupletiſſimum redditis. Non ſatis erat Principi Patri Sereniſſimo hactenus Marpurgenſem foviſſe Academiam, ſed quia ſtatus præſens poſtulat, & hanc, quæ per aliquot annos, quaſi quievit, reſuſcitare, & non ſine ſumptibus magnis ornare voluiſſe. O rem magnam & præclaram, quam nec Ciceronis facundia ſatis prædicaret! Si Sereniſſimorum progenitorum laudes & encomia hâc in re circumferuntur, ut mundo circumferuntur, multò major laus Sereniſſimi Domini Patris erit, qui hoc tempore, & quidem pauperrimo, ubi Eccleſiæ, & Reipublicæ à Satana ejuſq; organis pericula ſtruuntur, Scholam hanc reſtaurare voluit. Nec temporis eſt nec loci de præſtantia & utilitate Academiæ verba facere. Hoc ſaltem ad felicitatem noſtram pertinere videtur, quòd Celſiſſimus Dominus Parens in hac Celſitudinis ſuæ urbe & propugnaculo illam ipſam Academiam reſtaurare voluit, è qua antè tot præclariſſima Eccleſiæ & Reipublicæ lumina prodierunt. Erit cum bono Deo omen in nomine, Academia reſuſcitatur, quæ non uni Eccleſiæ, ſed univerſo cœtui Chriſtiano proderit. Quãtum præſtet, univerſis, quàm uni beneficium conferre, omnes agnoſcunt. Felicitas noſtra, & gratia hæc magna eſt, quòd Serenitas ipſius Celſitud. Veſtras ad id perficiendum miſit, exinde enim & actus, & Academia nobilior redditur. Utinam ardentiſſimos in Sereniſſimum Dominum Patrem & Celſitud. Veſtras noſtrorum animorum affectus ex debito explicare valeret. Agimus quidem gratias, ſi poſſemus, referremus, ſed nec conditio veſtra remunerandi vicem deſiderat, nec noſtra ſuggerit reſtituendi facultatem: privatorum iſta copia eſt, inter ſe eſſe munificos, veſtra beneficia, ut majeſtate præcellunt, ita mutuum non repoſcunt

Majores dico gratias, quia beneficia nobis & urbi huic ſine merito contingunt. Rationem felicitatis nemo reddet. Deus & qui Deo proximus eſt tacito munera diſpertit arbitrio. Nullo alio merito, tanta nobis gratia, tanta ſolicitudo, & cura literarum obvenit, niſi quòd Princeps piiſſimus ſe debere dicat. Ut autem fortunatus hic dies ſit, ut fortunatè propoſitum procedat & fortunatum maneat. Te Deum Ter Optimum Maximum devotiſſimis precibus rogamus, adſis operi ex alto, benedicas ei: gloria enim tua eo petitur. Fac ut Schola ſit verum Religionis, & ſcientiarum ſeminarium & virtutum officina. Et ut verbo Imperatoris FRIDERICI utar, ut Academia hæc totum illuminet mundum, & homines ad obediendum Deo, & Magiſtratui informet. Defende ô DEUS eam contra hæreſes, pravas opiniones, morum corruptiones, Martis furorem & omnes Diaboli inſidias & inſultus. Audi ô Deus & juva. Veſtro autem, Principes Celſiſſimi, Domino Parenti, veſtriſq; Celſitudinibus denuo gratias ago, pro his & aliis beneficiis paratiſſima, propenſiſſimáq; vota, ſtudia, fortunas, ſpes, opes, & quicquid habemus voveo & dedico. Academiam hanc, quam inſtauratis perpetuę gratiæ obedientiſſimè commendo, atq; ſub Sereniſſimi veſtri Patris velut divini numinis umbraculo ut tuta ſit ſubmitto. Tandem Principes omnium deſideratiſſimi, Deo genua ſupplex flecto, ut inclytiſſimus veſter ſplendor Reipublicæ Chriſtianæ incremento in ultimam uſq; ſenectutem felix vivat, in dies magis ac magis fortunetur & floreat.

FInierat, & avidè quidem Heroum filii dicta exceperant, cùm nihil remoratus Sereniſſimus Celſiſſimúſq; Princeps & Dominus, DN. LUDOVICUS, Haſſiæ Landgravius,





vius, Princeps annorum viginti, ut animo excelſo & feliciſſimo ingenio, intellectuq; admirabili præditus erat, atq; docta verba ad arbitriũ habebat, literarum ſtudiis inſtructiſſimus, facundiſſimo eloquio reſpondere cœpit, atq; Domini Fratris quoq; nomine candidiſſima ora talibus exſolvit:

*Congratulationem ac vota veſtra pia & ſeria, dilecti Fideles, ego cum Fratre meo chariſſimo benignâ mente percepi. Utque mihi perquam grata ſunt: ita Deum ipſa impleturum confido. Jubemus ambo vos viciſſim ſalvere plurimùm, & gratulamur Patriæ, vobiſque omnibus de hoc exoptato conventu, Deum venerantes, ut divino ſuo Numine etiam porrò nobis adeſſe, & capta, totumq; opus hoc feliciter regere & ſecundare velit.*

His dictis, porrectâ uterq; Princeps manu univerſis & ſingulis Profeſſoribus, prout & Studioſis, qui ſubjectiſſimo illam gratiam venerabantur oſculo, ad interiorem aulæ partem ſeſe recepit, cæteris omnibus ad ſecuturæ diei ſolemnitatem dilatis, niſi quòd eâ veſperâ Magnifici Rectoris deſignationi quædam impenderentur, qui ad Sereniſſimi Celſiſſimiq; Principis ac Domini, Domini GEORGII Haſſiæ Landgravii &c. clementiſſimum arbitrium, facto à Facultate Theologicâ initio, Vir Reverendus admodùm & Excellentiſſimus, Dominus JUSTUS FEWRBORNIUS, SS. Theologię Doctor celeberrimus, ejuſdemq; Profeſſor primarius, & Superintendens conſtituebatur, atq; eo ipſo die ad in-

ſtantis diei ſolemnia ſequenti de valvis templi programmate publica legeretur invitatio. Ea vero his impreſſa erat verbis.

*A. D. T. O. M.*

# SENATUS ACADEMIÆ GISSENSIS

*OMNIBUS SALUTEM P.*

DIE quinto hujus menſis celebrandis reſtaurandæ Academiæ noſtræ ſolenníoribus actibus & inter illos à Rectoris denominatione initium fore, bina jamdum vice atq; authoritate publica indictum fuit. Cùm nunc ille nobis craſtinus futurus ſit, iterum de eo literatos & quotquot iis favent, admonere volumus. Te imprimis, Juventus patriæ noſtræ, & quæ aliunde amore doctrinæ hùc veniſti. Ac cùm Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini GEORGII Haſſiæ Landgravii &c. Domini & Nutritii noſtri clementiſſimi benigniſſimâ providentiâ & curâ omnia ea ipſo opere explicanda deſtinata ſint, quæ tantæ rei venerationem & propoſitæ utilitatis fiduciam conciliare poterunt, danda utiq; omnibus erit opera, ut ſui quoq; officii quiſq; ſedulus cultor habeatur: Magna beneficia ſi non niſi vulgari agnoſcantur gratitudine, contemni videntur: Abſolutiore animi attentione opus eſt; Hanc ſi nunc nos aliter probare non poſſumus; curæ tamen eſſe demonſtrandum erit. Quod fiet, ſi DEO pari pietate conjunctis votis proſperum Academiæ Statum commendabimus, ac nuncupato obſequii voto, Sereniſſimi Principis commeritas tanto opere laudes æternitati. P. P. die 4. Maji, Anno recuperatæ Salutis, M. DC. L.





POſterâ itaq; die, id eſt tertiâ Nonas Maji, quâ Sol diem ſuum reduxerat, Magnates quidem & Nobilitatis flos in aulâ: Profeſſores verò, conſcriptiq; ex oppidis Paſtores & Senatores, in Collegio Ludoviciano convenêre, Principes Sereniſſimos ad templum urbis, olim *Divo Pancratio* ſacrum, & ſolemnitatibus introductionis Academicæ dicatum, deducturi. Poſtquàm ergò hora ſacris iſtis comparuit, rhedis ad templum itum eſt. A Profeſſoribus quidem primùm, quorum ſeries hæc erat. In Facultate Theologicâ JUSTUS FEWRBORNIUS SS. Theol. D. Superintendens & RECTOR MAGNIFICUS. Sequebantur hunc, JUSTUS SINOLD, cognomento SCHÜTZ, Dicaſterii Giſſenſis & Academiæ Cancellarius, & Profeſſor Juris primarius, Conſiliarius Principis intimus: & PETRUS HABERKORNIUS, SS. Theol. D. & Superintendens Giſſenſis. Deſiderabatur in Theologicâ Facultate, BALTHASAR MENTZERUS, SS. Theol. D. Rintelio evocatus. In Juridicâ Facultate præter JUSTUM SINOLD, cognomento SCHÜTZEN, Cancellarium, aderat GREGORIUS TÜLSNERUS, J. U. D. Profeſſor Pandectarum & Conſiliarius Haſſo Darmbſtatinus. In Medicâ, JOHAN DANIEL HORSTIUS, Phil. & Med. Doctor, & Archiater Darmbſtatinus: JOHANNES TACKIUS, Med. Licentiatus, & Sereniſſimi Celſiſſimiq; Principis ac Dn. Dn. LUDOVICI Haſſiæ Landgravii Medicus. In Philoſophicâ, M. CASPAR EBELIUS, Log. & Metaph. Profeſſor. M. JOHANNES CONRADUS DIETERICUS, Hiſtor. & Græcæ Linguæ Prof. JACOBUS LEBLEU, J. U. Licent. Prof. Juris extraordinarius, Politices ordinarius, & Academiæ Syndicus. M. DAVID CHRISTIANI, Matheſeos Prof. MARTINUS MÜLLERUS, J. U. Licentiatus, Prof. Juris extraord. & Ethi-

& Ethices ordinarius. Eloquentiæ Profeſſor, qui tunc deſiderabatur, non multo pòſt tempore conſtituebatur Johan Helvicus Sinold, cognomento Schütz, J. U. Licentiatus. Hi inquã ad templum primo deducebantur rhedis, inſequentibus paulò pòſt ipſos Sereniſſimis Principibus, Comite Illuſtri & Generoſiſſimo, univerſisq; cæteris aulę proceribus. Sceptra & faſces Academię Principibus præferebat Vir Juvenis genere & virtute nobiliſſimus, Dn. Crafft Adamus à Buseck, dictus Münch. Hunc inſequebantur alii de Nobilitate Haſſiacâ juvenes, quorum alius diploma Privilegiorum primum & originale, olim à Rodolpho II. *Imperatore Romanorum* ſacratiſſimo *Giſſenæ Academiæ* conceſſorum: alius Statuta Academica, & ſic alius poſt alium, Album Studioſorum, Sigilla & quatuor Facultatum diaria ſive libros Decanatus, ſuper coccineis ex oſtro reſplendeſcentibus pulvinaribus requieſcentia non ſine modeſtâ pompâ coram Principibus deponebant. Quid dicam amplius? Cùm interior ſive ſublimior ſacræ ædis locus Principes jam excepiſſet, contignationibus cæteris omnibus in eâ cujuſcunq; conditionis mortalibus, quos velut in cuneos actos cernere licebat, aggravatis, facto à re divinâ initio, atq; Spiritus ſancti auxilio ſolito hymno invocato, neq; ſegnior poſt preces Muſica, quam ipſę cantantium voces inter fidium acutiſſimos ſonos, compoſitiſſimâ ad præſentem actum melodiâ, ſupra fidem commendabant, ſolemnitati initium dedit. Excipiebat hanc ſacræ Orationis alicujus, ſive concionis majeſtas, quam, verba è ſuggeſtu faciente Viro admodùm Reverendo & Clariſſimo, Dn. Petro Haberkornio, SS. Theol. D. & Profeſſore, itemque Superintendente & Eccleſiaſte Giſſenſe, ipſarum rerum & verborum ſplendor ſupra



ſupra communes dicendi modos efferebat. Eam verò, quòd idiomate patrio habuerit, hoc loco inſerere noluimus, lectori ſatisfactum exiſtimantes, ſi peculiari loco ad actus finem eam deſtinaverimus. Finitâ ſic concione, atq; votivis pro Academiæ Giſſenæ ſalute precibus ad Deum miſſis, Muſica iterum exaudiri, atq; ſuaviſſimis ſonis *Hymnus Ambroſianus: Te Deum Laudamus*, decantari cæpit. Plures hîc vidiſſes, quorum pectora reditura patriæ & Academiæ ſalus adeò tangebat, ut velut cœleſtis Hieroſolymæ umbram ſibi fingentes pręingenti gaudio lachrymas uberrimè de genis profluentes abſtergerent: alios, quibus præſentis diei lætitia pacis ſecuturæ ideam non repræſentabat modò, ſed & omnium præteritorum malorum myriades unâ oblivione obſcuraret. Cuperem hîc quidem, ô, quicunq; hæc legitis, ejuſcemodi inſtituere narrationẽ, quæ & ſcribenti mihi, ut fas erat, ornamentum, & vobis legentibus delectationem conciliaret. Nam cùm multos annos Germania bellum agitaverit, atq; uſq; ad hæc tempora pacis egena paucus honos literis ſuperfuerit, ſi quid novi nunc audieritis, fortaſſe quaſi præter ſpem acciderit ſuſpicietis. Cæterùm cùm hujus diei voluptas omnem ſcribendi felicitatem ſuperârit, ad invidiam uſque, dulcius judico ſolâ in contemplatione felicitatis Haſſiacæ requieſcere, quàm verbis non attingere ſufficientibus eas Sereniſſimi Celſiſſimiq; Principis noſtri laudes & facta, quę non minùs cum voluptate dulcia, quàm cum virtute ad ſeram uſq; mundi ſenectam glorioſa erunt. At verò, dum imbecillitatem meam agnoſco, in partes venit Vir Nobiliſſimus & Magnificus, Dn. Philippus Ludovicus Fabricius, Sereniſſimi Celſiſſimiq; Principis ac Domini, Dn. Georgii, Haſſiæ Landgravii &c. Conſiliarius intimus & Cancellarius,

rius, qui quod mihi calamus & ingenium denegavit, admiranda Suadâ ſuâ ſupplebit omne. Hic enim, ut Principis ex mandato actus ſolemnitatem tantò auguſtiorem redderet, nihil omiſit eorum, quæ ad tanti Herois, atq; reliquorum ante ipſum Haſſiæ Principum laudes ipſa imperabat Veritas, ut potiùs longâ, atq; diſertiſſimâ Oratione quâ & has complectebatur, & *Rectorem Magnificum* atq; *Cancellarium* Academiæ deſignabat, omnium vultus atq; ora, feliciſſima eandem reddens memoriâ, in ſe converteret. Ita verò ille.

POſteaquàm Sereniſſimus ac Celſiſſimus Princeps ac Dn. Dn. GEORGIUS Haſſiæ Landgravius, Comes in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Yſenburgo & Budinga, Dominus meus Clementiſſimus, mihi in mandatis dedit, ut hunc locum conſcenderem, & in auguſto hoc conſeſſu verba facerem; neminem equidem, Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principes, Domini Clementiſſimi, Illuſtris & Generoſiſſime Dn. Comes, Præſtrenui, admodùm Reverendi, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Excellentiſſimi, Clariſſimi, nec non Prudentiſſimi Viri, Tuq; Studioſorum Flos & omnium Auditorum Corona lectiſſima: Neminem, inquam, fore arbitror, qui in ſiniſtram partem interpretaturus, vel mihi vitio verſurus ſit, quòd hic præ cæteris ſurrexerim, ſolum enim obſequium, quo Serenitati ipſius obſtrictus ſum, cujuſq; ſolius gloria mihi tanquam miniſtro relicta eſt, nec nõ negotii præſentis, tot bonorum votis & deſideriis hactenus exoptati; Reſtaurationis nempe ſuſpenſæ hactenus Academiæ Giſſenſis utilitas, honeſtas & quaſi Religio quædam mihi ſatis idoneam, ſatis juſtam & legitimam excuſationis præbent cauſam.

Neq; verò hîc opus videtur longas condere Iliadas, & de ſum-



de ſummâ Academiarum, & ſtudiorum literarum utilitate, ac neceſſitate prolixum inſtituere ſermonem. Ecquis enim eſt, ſi, non dico oculos, ſed mentis aciem circumferat, & quæ ſupremus ille rerum omnium architectus, arbiter & moderator Deus Ter Opt. Max. miſeris mortalibus conceſſa voluit bona, paulò altiùs perpendat, qui in vaſta hac mundi compage quicquã reperiat, ex quo majora emolumenta ad totum genus humanum redundent, quàm ex Academiis & Scholis bene conſtitutis? Quid homini, vero Dei cultu, quid pietatis, fidei, precumque ſtudio, quid religionis puritate in hac mortalitate prius? Quid antiquius, quid magis neceſſarium eſſe poteſt? Nonne pietas eſt veræ ſapientiæ initium, nonne promiſſionem habet hujus & futuræ vitæ? Nonne, qui pius eſt, omnibus aliis antecellit, adeò, ut ſecundùm Siracidem nemo ſit, qui cum ipſo poſſit comparari? Nonne fides eſt, quâ juſtus vivit, nónne fides manus eſt, quâ ſalvificum Chriſti meritum & omnia Dei beneficia, gratiam, remiſſionem peccatorum, &c, ut paucis multa, imò omnia dicam, æternam vitam nobis applicamus? Nónne precatio eſt clavis cœli, ita ut oratio aſcendat, deſcendat verò Dei miſeratio? At verò hæc omnia, poſt Deum, Scholis & Academiis bene conſtitutis, tanquam ſeminariis Eccleſiæ, & ſalutari cuidam ſcaturigini debentur. Scaturigini, inquam, & quidem inexhauſtæ. Si enim Princeps, ingentibus licet, ſumptibus templum ædificet, ſi ad jus & juſtitiam adminiſtrandam tribunal vel Dicaſterium erigat, ſi provinciis ſuis idoneos præficiat officiales, ſi ſplendida ædificia, ſi munimenta etiam patriæ, caſtra & fortalitia extruat, ſi invidioſas opes ac theſauros corradat, ſi eleemoſynas non contemnendas eroget, magnus equidem meritò hinc expectatur fructus;

ſed talis, qui concludatur & quaſi coarctetur exiguis cancellis, neq; excedere poſſit unum atq; alterum diſtrictum.

Ex iſta verò ſcaturigine, qui profluunt rivi, imò flumina, qui pietatis ac religionis veræ fructus inde promanant, non ad ſolam patriam, non ad circumjacentes duntaxat provincias: ſed etiam ad extera regna, & ad omnes fere chriſtiani orbis partes excurrunt; quantoq; major ex iſta ſcaturigine profluit & hauritur, tantò major adhuc ſupereſt copia.

Hoc pietatis fundamento in Academiis ac Scholis probè jacto, quàm egregia ſunt, quæ ſequuntur, Academiis quoq; accepta ferenda? An homini ſapientiâ ac prudentiâ quicquã optabilius, quicquã præſtantius, quicquam ingenuo homine dignius reperiri aut excogitari poteſt? Si omnes ſacras & profanas hiſtorias evolvamus, vix inveniemus ullum exemplum, quod Reges, Principes, Magiſtratus, Judices, imò omnes, qui in aliquo honoris faſtigio collocati ſunt, *Et quorum irradiat melior præcordia Titan*. ad imitandum ſibi magis ob oculos ponere debeant, quàm Regis Salomonis. Is primùm Prophetę Nathan in diſciplinam traditus, adeoq; ſtudiis literarum imbutus, poſteaq; in locum Parentis ſui Davidis Rex creatus, non regiis divitiis, nec multitudine & fortitudine populi ſui confidebat: ſed ſapientiam & ſcientiam, verámque prudentiam, quâ vera à falſis, bona à malis, honeſta à turpibus, utilia à noxiis & pernicioſis diſcerneret, & non modò, quæ ante pedes eſſent, ſed futura proſpiceret, & tam ingentem ac numeroſum populum feliciter regere poſſet, verâ ac certâ fiduciâ petebat. Quibus precibus delectatus Jehova tantam ei mentis ſapientiam contulit, ut neq; ante eum, neq; poſt eũ quiſquã ipſi par fuerit, neq; tanta gloria, tantę-





tantæq; opes, quantis ille, tametſi non petitis, coronatus fuit, aliis Regibus unquam fuerunt conceſſæ.

Quòd ſi ipſe Deus inſtitutioni ac ſtudiis Salomonis, ejuſq; precibus pro ſapientiâ impetrandâ effuſis, tàm largè benedixit: ſi Imperatores, Reges, Electores, Principes, cæteráq; mundi lumina, Academias, viróſq; literatos ac doctos, cum magna ſui nominis gloriâ in numero ſemper, ac honore habuerunt: ſi ingentes ſtudiorum fructus ipſimet exactè compertos habentes, magni æſtimârunt: ſi docentibus ac diſcentibus inſignia privilegia, præmia, honores ac dignitates largiti fuère; hæcque omnia hiſtoriæ omnium temporum ſatis ſupérq; teſtantur; certè neq; opus erit, neq; etiam tempus, aut inſtituti mei ratio patitur, ut operosè ad ſpecialia excurram exempla.

Non igitur dicam, quantâ gratiâ & benevolentiâ Imperator Augustus viros doctrinâ & virtute præſtantes complexus fuerit? qomodo Tiberius Cæſar, Nervam Legum peritum, Atticum, alióſq; liberalibus ſtudiis excellentes viros ſibi Romam proficiſcenti comites adſciverit, ut, quemadmodum inſignis ille hiſtoricus Tacitus loquitur, eorum ſermonibus levaretur? quomodo Imperator Romanus Alexander Severus Ulpianum JCtum amicum, imò patrem ſuum vocaverit, eúmq; in ſummo vitæ periculo, cùm ipſi ſervandæ exactæ diſciplinæ rationem habenti à militibus vis intentaretur, purpurę, imò corporis ſui objectu texerit? Quomodo Imperator Carolus, nomine & re Magnus (à quo Vos Celſiſſimi Principes & inclutiſſima veſtra Domus ſublime veſtrum ſtemma deducitis) cum pranderet, præcipuas Romanorum, Græcorum, aliorúmq; populorum hiſtorias à doctis viris ſibi recenſeri aut prælegi fecerit.

*Auguſtus Imp.* *Tiberius.* *Alexander Severus.* *Carolus Magnus.*

*Sigiſmundus Imper.* Neq; hîc memorabo, quanti Sigiſmundus Imperator, ipſemet non vulgariter eruditus, literas fecerit, qui in Concilio Conſtantienſi graviſſimè conqueſtus fertur: Neminem ex ſuis Principibus & Electoribus, in illo orbis Chriſtiani theatro fuiſſe, qui in deliberationibus perſonam ſuam tueri, & latinis verbis animi ſui ſenſa exponere poſſet. Unde Ludovicus Elector Palatinus Conſtantiâ domum reverſus non tantùm imperitiam ſuam, uti Hiſtorici loquuntur, & quod in juventute ſua literas neglexerit, deploráſſe; ſed etiam ſeneſcens jam latinas literas diſcere cæpiſſe dicitur.

*Carolus V.* Carolus V. Imperator, etſi ab Aulæ ſuæ Magiſtro ſic inſtitutus fuerit, ut etiamſi quindecim annos ætatis nondum exceſſiſſet, tamen ex quibuſcúnq; provinciis literæ afferrentur, vel nocte intempeſtâ ipſi traderentur, ut ex illis ad conſilium referret, unde egregiâ laude ac gloriâ Solis utramq; domum complevit: attamen indoluiſſe fertur, quòd præceptori ſuo Hadriano non paruiſſet, & doctâ coram ipſo Genuæ habitâ latinâ oratione, interprete opus haberet, neq; elegantiam ipſius ſatis aſſequi poſſet.

*Philippus Rex Macedoniæ.* Non enarrabo, quomodo Philippus Macedoniæ Rex ſibi gratulatus fuerit, quòd eo tempore natum haberet filium Alexandrum Magnum, quo Ariſtoteli eundem in diſciplinam tradere poſſet? *Alexander Magnus.* Quomodo ipſe Alexander Magnus, orbis domitor, tanti fecerit Ariſtotelis commentarios, ut cùm in Aſiam tranſgreſſus accepiſſet, commentarios Philoſophiæ ab Ariſtotele fuiſſe editos, id ægerrimè tulerit, hiſce verbis uſus: Parùm rectè feciſti, quòd diſciplinas, in quibus inſtituti fuimus, evulgaveris, ubi enim cæteris præſtabimus, ſi omnibus erunt promiſcuæ? Ego verò optimarum rerum ſcientiâ mallem me, quàm potentiâ excellere. *Franciſcus I. Gall. Rex.* Quomodò Franciſcus I. Galliarum Rex nullum fere



fere prandium, nullam cœnam, nullam ambulationem ſine colloquiis cum doctis viris peregerit? Quàm familiariter etiam Pauſanias Simonide, Periander Thalete, Pericles Anaxagorâ, Crœſus Solone, Rex Agamemnon Neſtore uſus fuerit? Sed, quid ego de longinquo tot exempla petenda duxi? Nonne in Haſſia tot inclutiſſimi Principes nobis eſſe poſſunt inſtar omnium?

*L. H. Philippus.* Landgravius PHILIPPUS, Princeps Haſſiæ laudatiſſimus, cùm viceſimum ſecundum vix attigiſſet ætatis annum, rebúſq; bello jam tum præclarè & feliciter geſtis magna heroicæ virtutis ſpecimina edidiſſet, ſingularem ſuum amorem & benevolentiam erga literas & literatos ſatis ſupérq; teſtatus fuit, erectâ anno ſupra milleſimum quingenteſimum vigeſimo ſexto Academiâ Marpurgenſi, & acceerſitis Viris in ſingulis Facultatibus doctiſſimis, celeberrimis. *Wilh. & Ludov. Senior LL. Haſſiæ.* Eandem Academiam Celſiſſimi Principes, Dn. WILHELMUS & Dn. LUDOVICUS Senior, Fratres Germani, Haſſiæ Landgravii magnâ induſtriâ conſervarunt.

*Ludovicus Iun. L. Haſſiæ.* Et verò, quis adeò eſt hoſpes ac peregrinus in Haſſia, qui ignoret, quantis curis, quantíſq; impenſis laudatiſſimus Princeps Dn. LUDOVICUS Junior, Haſſiæ Landgravius, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſeptimo, Academiam florentiſſimam, & famâ ſuper æthera notam, in hac ipsâ urbe inſtituerit, quantíſq; proventibus eandem dotaverit?

Neque etiam memoriâ noſtrâ excidit, quantâ curâ, quantíſq; ſumptibus, annno ſupra milleſimum ſexcenteſimum vigeſimo quinto, ſuſpensâ Academiâ Giſſenſi, idem Princeps Academiam Marpurgenſem reſtauraverit.

Quantâ verò liberalitate quantíſq; reditibus Sereniſſimus

*Georgius Haſſiæ Landgravius.*

ſimus ac Celſiſſimus Princeps ac Dn. Dn. GEORGIUS, Haſſiæ Landgravius, poſteà, cùm anno ſupra milleſimū ſexcenteſimum vigeſimo ſeptimo, per tranſactionem dimidia pars proventuum academicorum lineæ Caſſellanæ cederet, Academiam donaverit, quantáq; curâ & vigiliis diuturnis ac calamitoſis hiſce bellicis temporibus eandē conſervaverit, notius eſt, quàm ut prolixâ enarratione opus videatur.

Cùm autem tantis hactenus in tota Europa, præſertim verò in Imperio Romano, & in Haſſia ſubortis mutationibus, in Patria tandem pax & concordia renaſci & refloreſcere cepiſſet, neceſſitate & utilitate Eccleſiæ & Reipublicæ exigente Sereniſſimus Princeps noſter ante omnia de reſtauranda hac Academia ſeriò cogitavit. Novit enim Sereniſſima ipſius Celſitudo, quantus ex Academiâ bene conſtitutâ ad Eccleſiam & Rempublicam redundet fructus? Novit cum Imperatore FRIDERICO, ſcientiâ doctorum virorum totum illuminari mundum. Novit ſtudiis literarum vitam ſubjectorum informari ad obediendum Deo, & à Deo ordinatis poteſtatibus. Novit, ex ordine academico legi & cooptari, qui vineam Domini plantent, qui ad aulas Imperiales, Regias, ac Ducales transferantur, quíq; ad reſpublicas bene felicitérq; gubernandas adhiberi, vel ad proximum conſilio juvandum apti fieri poſſint. Novit etiam aulas Regum ac Magnatum habere quidem, viros eruditos & magnis negotiis pares: ſed habere ipſos plerumq; ex ordine academico.

Valeant ergò illi, qui literas & literatos vatiniano proſequuntur odio, qui inimici ac infenſi induſtriæ ſunt, qui virtutem excellentem ferre non poſſunt, Epheſiis equidem non abſimiles, qui cùm HERMODORUM (quem Pomponius JCtus authorem fuiſſe Decemviris ferendarum Legum



gum duodecim tabularum tradit) virum frugi & ſapientem urbe ejeciſſent & expuliſſent, ita locuti feruntur: Nemo de nobis unus excellat; ſed, ſi quis talis extiterit, alio in loco, & apud alios ſit: vel Cyro minori, qui quòd plus vini, quàm frater & bibere, & ferre poſſet, ſe ideò regno etiam digniorem eſſe, egregio, ſi Dîis placet, argumento putavit.

Valeant illi, qui cum noto illo Imperatoris FERDINANDI I. Aulico, viros literatos & doctos contemnunt & convitiis proſcindunt, & tamen ſi ipſi ad res magnas & graves gerendas adhibeantur, ad eas, utpote quas neq; didicerunt, neq; intelligunt, ſunt ineptiſſimi. Valeant porrò, qui literas in Principe improbāt. Cùm Alphonſus Arragoniæ Rex, de Rege alio, talem ſententiam fovente & literarum ſtudium Rege indignum eſſe dicente inaudiviſſet: O vox bovis, non hominis! exclamaſſe fertur. Valeant, inquam, illi omnes, neq; ipſos Studioſi & literarum cultores magis, quàm ranas paluſtres curent, quin potiùs contemnentes illum contemptum, tantò ardentiori ſtudio literis incumbant; longè enim aliter de literis literarúmque cultoribus judicant, quorum corda à Deo ſunt illuminata.

*Alphonſus Arragoniæ Rex.*

Quòd ſi eos præclara jam adducta exempla nō movebunt, moveat ſaltem ſacræ ſcripturæ authoritas, moveat Deboræ enconium, calamo ſcriptorio ac ſtudiis literarum tributum: De Machir, inquit illa, deſcenderunt Principes & de Sebulon Duces in virgâ ſcribæ. Deus igitur duas illas familias de Machir & de Sebulon ad inſignes dignitates evexit; utq; res præclaras & laude digniſſimas gererent, calamum ſcriptorium voluit eſſe medium, voluit eſſe inſtrumentum. Sed reprimo me.

Cùm igitur optata illuxerit dies, quâ SERENISSIMUS noſter PRINCEPS, ſuperatis omnibus hacte-

hactenus objectis impedimentis, Academiam, in hac urbe, iis ipſis, quibus antè enituit, auſpiciis reſtaurari juſſerit, præmiſſo divini Numinis cultu, & precibus pro felici hujus rei ſucceſſu effuſis, rem ipſam aggrediemur.

Quod itaq; felix ac fauſtum ſit, proſperéq; omnibus cadat, Privilegia Cæſarea, quibus ab Imperatore Romano Dn. RUDOLPHO II. glorioſiſſimæ recordationis, ACADEMIA GISSENSIS ornata fuit, quorúmq; publicatio ad omnium notitiam nunc repetenda, clarè, perſpicuè, & diſtinctè prælegentur, prælecta publicè exhibebuntur & monſtrabuntur auguſto huic conſeſſui & celeberrimo auditorio.

Accedebat, his dictis, Vir ſpectatiſſimus & eruditiſſimus Dn. JOHANNES MYLIUS, J. U. Candidatus, & Præfectus Battenbergæ & Bidencopiæ, & humili oſculo accipiebat diploma Privilegiorum Cæſareorum ACADEMIÆ GISSENÆ conceſſorum. Nec mora; cùm explicuiſſet ipſum, ſonorâ voce, & ſic, ut ab omnibus exaudiri potuerit, verba ſequentia legit.

# PRIVILEGIUM CÆSAREUM *ACADEMIÆ GISSENÆ.*

WJR Rudolff der Ander / von Gottes Gnaden / Erwölter Römiſcher Kayſer / zu allen Zeitē Mehrer des Reichs / in Germaniē / zu Hungarn / Boheimb / Dalmatien / Croatien / vnd Schlavonien ꝛc.





nien ꝛc. König / Ertz-Hertzog zu Oeſterreich / Hertzog zu Burgundt / zu Braband / zu Steyr / zu Kärndten / zu Crain / zu Lützenburg / zu Würtemberg / Ober: vnd Nieder Schleſien / Fürſt zu Schwaben / Marggraf des Heyligen Römiſchen Reichs / zu Burgaw / zu Mähren / Ober: vnd Nieder-Laußnitz / Gefürſter Graf zu Habſpurg / zu Tyrol / zu Pfirdt / zu Kyburgk vnd zu Görtz / ꝛc. Landgraf zu Elſaß / Herꝛ vff der Windiſchen Marck / zu Portenau vnd zu Salins / ꝛc. Bekennen offentlich mit dieſem Brief / vnd thuen kundt allermänniglichen / als vns der Hochgeborne / Ludwig Landgrafe zu Heſſen / Grafe zu Catzenelnbogen / Dietz / Ziegenhayn / vnd Nidda / vnſer lieber Oheim vnd Fürſt / vnderthäniglich vorbringen laſſen / wie Seine Ld. verſchiener Jahr / gemeinen Nutz der Jugend / auch dem Studio zu gutem / in ſeiner Statt Gieſſen / eine Univerſität vnd Hohe Schuel vffrichten laſſen / mit vnderthänigſter Bitte / daß Wir / als Römiſcher Kayſer / Jhme dieſelbe gnädigſt zu confirmiren / vnd zu beſtättigen / auch ſie mit den Privilegien / Begnadigungen vnd Freyheiten / damit andere Univerſitäten im Heyligen Reich verſehen weren / zu begaben gnädigſt geruheten.

Darauff haben Wir angeſehen / ſolches Sr.

Ld. vnderthänig ziemliches Bitten vnd Erbieten/ auch die anſehnlichen Interceſſionen, ſo von vnderſchiedlichen Chur:vnd Fürſten/ ſo wohl der Catholiſchen Religion / als Augſpurgiſchen Confeſſion vor Sr. Ld. beſchehen.

Vnd darumb mit wohlbedachtem Muth/ gutem Rath vnd rechten Wiſſen / die obgedachte Sr. Ld. vffgerichtete Univerſität vnd Hohe Schuel zu Gieſſen / gnädigſt confirmirt vnd beſtätt / ſie auch mit den Freyheiten / Privilegien vnd Gnaden / ſo/ wie obgemelt/ andere Univerſitäten vnd Hohe Schulen im Heyligen Reich haben/ am fürſtändigſten begnadet vnd befreyet / Thuen das auch hiermit / auß Römiſcher Kayſerlicher Macht / wiſſentlich / in Krafft dieſes Briefs / alſo / daß ſie allenthalben vor eine Univerſität vnd Hohe Schuelen gehalten vnd geehret werde / vnd ſie alle Ehr/ Würde/ Vortheil/ Recht vnd Gerechtigkeit / vnd Gewonheit / wie andere haben / vnd allermänniglichen ohnverhindert/ doch Vns vnd dem Heyligen Reich / an Vnſer Obrigkeit / vnd ſonſt anderen an ihren Rechten vnd Gerechtigkeiten / ohnvorgreifflich vnd ohnſchädlich.

Vnd gebieten darauff allen vnd jeglichen Chur-Fürſten/ Fürſten/ Geiſtlichen vnd Weltlichen/ Prælaten/



laten/ Grafen/ Freyen/ Herrn/ Rittern/ Knechten/ Hauptleuten/ Land-Voigten/ Vitzthumben/ Voigten/ Pflegern/ Verwäſern / Amptleuten / Schultheiſſen/ Bürgermeiſtern/ Richtern/ Räthen/ Bürgern/ Gemeynden / vnd ſonſt allen andern Vnſern vnd deß Reichs Vnderthanen vnd Getrewen/ vnd vornemblich allen andern Univerſitäten im Heyligen Reich / auch Vnſern Erblichen Fürſtenthumben vnd Landen / daß ſie die obgedachte Univerſität zu Gieſſen / bey dieſer Vnſerer Kayſerlichen Confirmation, Begnadigung vnd Freyheit / gäntzlich bleiben / ſie deren rüglich gebrauchen vnd genieſſen laſſen/ vnd darwieder nicht bekümmern noch beſchweren / noch das andern zuthun geſtatten / in keine Weiß / als lieb einem jeden ſey / Vnſere vnd des Reichs ſchwere Vngnade vnd Straf / vnd darzu eine Pön / nemblichen Zwantzig Marck lötiges Golts zu vermeyden / die ein jeder / ſo offt er freventlich hierwieder thäte / Vns halb in Vnſer Reichs-Kammer / vnd den andern halben Theil/ gedachter Univerſität zu Gieſſen / ohnabläßlich zu bezahlen verfallen ſeyn ſolte. Mit Vrkund dieſes Briefs/ beſiegelt / mit Vnſerm Kayſerlichen anhangendem Inſiegel / Geben vff Vnſerm Königlichen Schloß zu Praga / den 19. Tag des Monats Maji / nach

Chriſti / unſers lieben HErrn / Erlöſers und Seligmachers gnadenreichen Geburt/ Sechszehenhundert und im Siebenden / Unſerer Reiche des Römiſchen im 32. des Hungariſchen im 35. und des Böheimiſchen auch im 32. Jahr.

Rudolff.

L. von Stralendorff.

Ad mandatum S. Cæſ. Majeſtatis proprium.

*G. Hertell.*

Rta. Sartor.

PErlectis ita Privilegiis Imperatoriis, eadem quoq; univerſis explicatâ cerâ monſtravit, quibus Viro Nobiliſſimo & Magnifico Dn. Philippo Ludovico Fabritio, Sereniſſimi Principis noſtri Cancellario redditis, hic idem ſequentibus perrexit.

OMnipotens DEus! qui feciſti terram fortitudine, qui firmaſti orbem ſapientiâ, qui extendiſti cœlos virtute tuâ, gloria tibi ſit & laus ſempiterna, fonti ac datori omnis boni. Creſcat, creſcat hæc tuo munere reſtaurata Academia, effundat ſalutaris hæc ſcaturigo non rivos, ſed flumina veræ ſapientiæ, virtutúmq;, quibus animorum hortuli irrigati & fœcundati fructus ferant ampliſſimos ac jucundiſſimos.

*Conſtitutio Rectoris Academici.*

Cùm verò Academia ſine moderatore ac directore nihilo magis, quàm corpus ſine capite aut navis ſine nau-
clero



clero ſubſiſtere poſſit, placuit Sereniſſimo noſtro Principi, ut hoc tempore hujus Academiæ Rector ac caput ſit Vir admodùm Reverendus & Clariſſimus, Dn. JUSTUS FEWRBORNIUS, SS. Theologiæ Doctor, Superintendens ac Profeſſor Theologiæ primarius. Ideóque, in nomine Sacro Sanctæ Trinitatis, te Domine Doctor FEWRBORNI, mandato atq; authoritate Sereniſſimi noſtri Principis, Dn. GEORGII, Haſſiæ Landgravii, Domini noſtri Clementiſſimi, Academiæ hujus Rectorem Magnificum deſigno, conſtituo, renuntio & proclamo. Suſcipe igitur Academiæ hujus gubernacula, ſint tibi curæ cordíq;, quæ tui ſunt officii, legibus ac ſtatutis academicis conſignata, cùm primis verò propagatio veræ doctrinę in ſacris ac ſecularibus, nec non conſervatio honeſtæ diſciplinæ.

Cúmq; docta & religioſa antiquitas certis quibuſdam ſymbolis & ceremoniis publicas hujuſmodi renunciationes exornare conſueverit, laudabili huic conſuetudini meritò inſiſtendum erit.

*Diploma Cæſareorum privilegiorum Academiæ Giſſenæ.*

Primùm igitur exhibeo tibi, Magnifice Domine Rector, diploma hoc Cæſareorum Privilegiorum, ut conſtet, Academiam hanc ſummâ Cæſareâ authoritate & optimis auſpiciis eſſe conſtitutam & confirmatam; Inq; ea legitimè peti & dignis conferri publica teſtimonia, gradus, titulos & honores in omnibus & ſingulis Facultatibus, Theologicâ, Juridicâ, Medicâ, & Philoſophicâ, eidémq; Academiæ & ipſius membris, docentibus ac diſcentibus competere omnia privilegia ac jura, quæ in aliis Academiis per Imperium Romanum Profeſſoribus ac ſtudioſis conveniunt.

*Sceptra Academica.*

Trado tibi etiam duo hæc ſceptra argentea, ac inaurata, ut illuſtrem Rectoratus dignitatem omnes agnoſcant ſub-

ſublimiorem, & à ſummo omnium honorum ac dignitatum culmine à Cæſarea Majeſtate proficiſcentem.

Et quoniam in eo, qui aliis præeſt, & imperat, inter alia requiritur, ut ſuo ſatisfaciat officio, dignitatémque ſuam tueatur, quorum omnium fundamentum eſt pietas ac juſtitia. Hinc doctrinam puram ac ſinceram, ſummo ſtudio & fide, tradi in hac ſchola curabis, neq; miſceri cum eâ patiêris fermentum humanarum traditionum aut erronearum opinionum. Cúmq; ſumma cœleſtis doctrinæ comprehenſa ſit in tribus Symbolis, Apoſtolico, Nicæno, & Athanaſiano, in Auguſtana Confeſſione, anno 1530. Imperatori Carolo V. exhibitâ, itémq; in ejus Apologia, nec non in Concordiâ Wittenbergenſi & Schmalcaldicis Articulis, ſeriò mandat Sereniſſimus noſter Princeps, ut hic conſenſus ſyncerus candidè, & diligenter cuſtodiatur, eundémq; omnes Profeſſores & Præceptores manuum ſuarum ſubſcriptione & juratò teſtantur.

*Statuta & Leges Academicæ.* Statuta quoq; & leges Academicas tuæ curæ & fidei commendat Sereniſſimus noſter Princeps. Illas igitur (quoniam nunc tempore deſtituimur) tu primo quoq; tempore, in publico omnium Academicorum cœtu recitandas curabis. Secundùm has præmia & honores bene merentibus, pœnas autem refractariis decernes, eruntq; Leges iſtæ perpetua norma & cynoſura Rectoratus tui.

*Matricula.* Accipe inſuper Album ſive Matriculam, cui omnium Academiæ civium & membrorum nomina inſcribentur, ut ſcias, in quos juriſdictionem tuam exercere poſſis.

*Sigilla.* Prætereà etiam Sigilla Academica tibi trado, & committo, & primò quidem Rectorale, quo edicta, mandata atq; decreta totius Academiæ, & omnia, quæ publicam confirmationem requirunt, munienda erunt.

Deinde



Deinde etiam ſingularum Facultatum Sigilla tibi trado, quæ ipſarum Decani, ex tua manu accipiant, ſanctéq; & integrè iiſdem utantur.

Et cùm multa ſe offerre ſoleant, quæ publicas conſultationes requirunt, accipe etiam háſce claves Conſiſtorii & Archivi. Quoties igitur res poſtulabit, communicabis cum Cancellario Academiæ, convocabis Decanos, tanquam tuos & Academiæ Conſiliarios. Conventum etiam, ſi neceſſitas exigat, omnibus Profeſſoribus indices, ínque concilio iſto præſidebis. Archivi quoq; & reconditorum in eo documentorum curam ſuſcipies ſolertem, & indefeſſam, ut tantò exactior ratio haberi poſſit jurium ac redituum Academiæ, neq; iiſdem quicquam decedat. *Claves Conſiſtorii & Archivi.*

Addo etiam claves carceris; quemadmodùm enim Studioſos tibi ut fideliſſimo Patri commendo, ut ipſos omni ſtudio fovendos & provehendos recipias: Ita hæc quoque pars eſt paternæ dilectionis, ſi res poſtulet, & filii aſperitate verborum ſe emendari non patiantur, acriora remedia adhibere, & gravitate pœnarum eoſdem in viam revocare, ne & ipſi peſſum eant, & prætereà *Claves Carceris.*

*Morbida facta pecus totum corrumpat ovile.*

Dura licet vox ſit, amputetur, quicquid eſt peſtiferum, & immedicabile in corpore Reipublicæ, attamen vox illa longè durior & funeſtior: Salvi ſint improbi, ſcelerati, impii, turbatores quietis diurnæ ac nocturnæ; parcatúrq; his omnibus: opprimantur verò aut deleantur innocentes, honeſti, boni, ipſáq; Reſpublica, ipſa Academia peſſum eat. Sis igitur etiam atq; etiam memor, & obſervans diſciplinæ conſervandæ.

Audiviſtis hactenus, Principes Celſiſſimi, Domine Comes Generoſiſſime, vóſq; omnium ordinum Auditores ho-

res honoratiſſimi, audiviſtis, inquam, quæ ut corpus Academicum ritè conſtitutum & reſtauratum rectè gubernetur, peragenda fuére. Supereſt, ut unum adhuc breviſſimè expediam. Compertum & omnibus planè notum eſt, in Academiis inſignes conferri benemerentibus honores, titulos, gradus ac dignitates, quemadmodum etiam craſtina dies collationi talium honorum eſt dicta.

*Proclamatio Cancellarii Academiæ.*

Cùm autem ad hoc opus ſit authoritate Cæſareâ, & Principali, Sereniſſimus Princeps noſter, vigore Cæſarei Privilegii, per me tibi Vir Nobilis, Conſultiſſime, ac Clariſſime Domine JUSTE SINOLD, dicte SCHÜTZ, Conſiliarie intime ac Cancellarie Dicaſterii Giſſenſis, hanc facultatem concedit, ut etiam Academiæ hujus Giſſenſis ſis Cancellarius, eóq; officio in promotionibus Doctorum & Magiſtrorum fungaris, ac Cæſareâ & Principali authoritate concedas poteſtatem promotoribus conferendi Candidatis omnium Facultatum, inſtituto examine dignis judicatis, honores, titulos, privilegia, dignitates & immunitates ſecundùm ſtatuta ac leges academicas.

Sereniſſima ipſius Celſitudo etiam omnes ac ſingulos Dominos Profeſſores, pro ſingulari ſua erga ipſos concepta ſpe & fiducia monitos vult, ut ſalutem ſtudioſorum ſibi commendatiſſimam habeant, ſtudiáq; ipſorum indefeſsâ & ſummâ diligentiâ docendo, ac diſputando promoveant, probè ſecum reputantes, quot ſtudioſos habent ſuæ fidei commendatos, tot animas ſibi eſſe commiſſas, omniáque mala, quæ ex neglectione ſtudioſorum conſequuntur, ut lapides molares corda ac conſcientias ipſorum oneratura.

Vos quoque, Studioſi omnium ordinum lectiſſimi, vos, inquam, Clementiſſimus noſter Princeps exhortatur, ut ante omnia pietatem colatis, veſtra ſtudia & labores precibus





precibus inchoëtis & diſtinguatis, Magnifico Dn. Rectori & aliis Profeſſoribus reverentiam, & obedientiam præſtetis, indefeſſam diligentiam & laborem, quibus Deus omnia vendit, in ſtudiis veſtris adhibeatis, honeſtatem, modeſtiam, temperantiam omnéſq; virtutes ante oculos habeatis: ab omnibus verò tranſgreſſionibus legum, ab omnibus vitiis, & facinoribus vobis temperetis, neq; tam formidine pœnę, quàm virtutis amore peccare ceſſetis.

Deus T. O. M. pro immenſâ & ineffabili ſuâ bonitate largiatur, ut totum hoc negotium & omnia, quæ nunc peracta ſunt, ad divini ſui nominis gloriam, ad Eccleſiæ incrementum, & ad totius Patriæ ſalutem, ad Reipublicæ literariæ deniq; & omnium bonorum commodum vergant.

*D I X I.*

Dixerat, & jam ob eloquii majeſtatem totius auguſti conſeſſus & univerſi auditorii applauſum meruerat nominatus ſæpe Vir Nobiliſſimus & Magnificus Dn. PHILIPPUS LUDOVICUS FABRICIUS &c. cùm & ſui muneris eſſe ratus, ut reſponderet, Vir admodum Reverendus & Excellentiſſimus Dn. JUSTUS FEWRBORNIUS, SS. Theol. D. & Prof. primarius, Superintendens item & Eccleſiaſtes, RECTOR MAGNIFICUS, in hæc pia verba ora ſua ſolemnitatibus in æde ſacrâ finem impoſiturus, reſolvit.

*ILLUSTRISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPES & Domini, Domini Clementiſſimi,*

*ILLUSTRIS ET GENEROSISSIME DOMINE Comes, Domine benigniſſime:*

*GENEROSE ET PERSTRENUE DOMINE PRO-Princeps, Domine Mecœnas honoratiſſime,*

*QUIN ET VIRI PLURIMUM REVERENDI, Perſtrenui, Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Acutiſſimi, Prudentiſſimi & Spectatiſſimi.*

*VOSQUE OMNIUM FACULTATUM STUDIOSI Lectiſſimi, & Auditores ac Spectatores exoptatiſſimi.*

PRæſens hæc dies à Veteribus dicitur Dominica *Jubilate* ex Pſalmo 66.v.1.2.& 100.v.2.ubi Spiritus S. ait: *Jubilate Deo omnis terra, decantate gloriam nomini ejus, date gloriam laudi ejus: ſervite Domino in lætitiâ, introite in conſpectu ejus, in exultatione.* Jubilare & exultare quidem licet; aſt ſæpe obtingit etiam tempus lugendi & flendi. Proptereaq; Chriſtus teſtatur, mundum quidem gaviſurum, pios autem ploraturos eſſe. Nos etiam ſat diu hactenus triſtati, ploravimus, quãdo Jehova, noſtris peccatis offenſus, nos inviſit & afflixit virgâ furoris ſui, & plagis bellicis, innumeras calamitates complexis, quas ſat eloqui vix poſſumus. Modicũ gaudii, quod nunc Deus nobis miſericorditer cõceſſit, grato pectore agnoſcamus, & divina ipſius beneficia deprędicemus.

Academia hæc GISSENSIS hactenus non fuit penitus abolita, ſed tantùm ad tempus, certis de cauſis, ſuſpenſa. Non igitur hîc nova Academia jam erigitur, ſed antiqua, anno Chriſti θεανθρώπου milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo fundata, reſtauratur. Antiqua privilegia Cæſarea, ſanctè depoſita & aſſervata, nunc reproducuntur. Veteres Immunitates Principales innovantur. Priora Sceptra & Sigilla Academica ad priſtinũ ſuũ uſum reaſſumuntur. Et ſic cœtus docentium & diſcentium Academicus hîc recolligitur.



Scholæ, in quibus Studioſa juventus ſalutariter informatur, etiam ante & poſt diluvium, ínq; Veteri & Novo Teſtamento extiterunt, & hactenus continuatæ fuerunt. Ante diluvium, tempore Enochi cœptum eſt invocari nomen Domini, Gen. 4. v.26. Etſi enim Adam, Abel & Seth nomen Dei jam antè invocârant: tamẽ pôſt aucta fuit piorum Eccleſia, & inſtitutæ fuerunt publicæ congregationes, in quibus verbum divinum de promiſſo ſemine, caput ſerpentis infernalis conculcaturo, fuit pleniùs explicatum.

Poſt diluvium, ipſe Abraham præcepit filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodirent viam Domini, & facerent judicium & juſtitiam, Gen. 18. v.19. Familiæ ergò Patrum fuerunt domeſticæ Eccleſiæ & Scholæ. Moſes fuit eruditus omni ſapientiâ Ægyptiorum, Actor.7.v.22. Et deinde vocatus à Iehovâ, fuit dux & Doctor populi, ſub quo etiam publicæ fuerunt Scholæ. Quæ quoq; tempore Heli haud ceſsârunt; Siquidem, ut alios jam ſileam, Samuel fuit Heli diſcipulus, 1. Sam. 3.v.1. Sub Regis Saulis regimine fuit grex ſeu chorus Prophetarum, 1.Sam.10.v.5. qui expoſitores S. Scripturæ dicuntur, quorum diſcipuli appellantur filii Prophetarum, ſeu Studioſi S. Theologiæ, 2.Reg.9.v.1. Tempore Novi Teſtamenti fuit Schola Johannis Baptiſtæ, Schola Chriſti, Schola Apoſtolorum, Schola Judæorum, Schola Corinthiorum, & aliæ, quarum deſcriptionem temporis præſentis brevitas non admittit.

Ut jam latêre patiar exempla Chriſtianorum Imperatorum, Regum, Principum, aliorúmq; Magnatum, quorum de literis & literatis judicium Nobiliſſimus & Ampliſſimus Dominus Cancellarius Aulicus jam tùm copioſè laudavit, tantùm exemplum modis omnibus decantandum Sereniſſimi

niſſimi & Celſiſſimi noſtri Principis & Domini, Domini GEORGII, Haſſiæ Landgravii &c, Domini noſtri Clementiſſimi, piè meditemur fas eſt. Inclytiſſima ipſius Celſitudo, mirabili Dei ope ex variis malis eluctata, noluit Studioſam Juventutem ampliùs vagari derelictam. Flagitante itaq; neceſſitate & utilitate publicâ, noluit diutius differre hujus Academiæ Giſſenſis reſtaurationem, ſed Deo confidens, & veſtigiis paternis laudabiliter inſiſtens, in Dei Ter Optimi Maximi honorem, in Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ ſalutem, & in Patriæ noſtræ utilitatem, iſtam reſtaurationem in actum ſolenniſſimè deducere gratioſiſſimè voluit, huc ablegatis ſuæ Celſitudinis duobus dilectiſſimis Filiis, Celſiſſimis Principibus & Dominis, Domino LUDOVICO & Domino GEORGIO, Haſſiæ Landgraviis &c. Dominis noſtris Clementiſſimis. O maximum iſtud Dei & Principis noſtri beneficium! Cui dignè deprædicando haud pares ſumus. Deus pro eo ſit benedictus in omnia ſeculorum ſecula

Nomen & memoria RUDOLPHI II. Romanorum Imperatoris Glorioſiſſimi, Confirmatoris hujus Academiæ Auguſtiſſimi, & Sereniſſimi Haſſorum Principis, Domini LUDOVICI, utriuſq; jam Cælicolæ Beatiſſimi, ſint & maneant in perenni benedictione, & in noviſſimâ mortuorum reſurrectione, etiam cum corporibus ſuis clarificatis, ceu ſplendor ſolis luceant, & cum omnibus Sanctis triumphent in æternum.

Sereniſſimo noſtro Principi & Domino, Domino GEORGIO, Haſſiæ Landgravio &c, Regenti noſtro Principi eminentiſſimo, & Academiæ hujus Reſtauratori ac Conſervatori munificentiſſimo, pro hujus Academiæ reſtauratione dignas perſolvere grates non opis eſt noſtræ. Deus ergò, qui dives eſt in omnes, nomen ipſius divinum invocantes, ſit tàm piiſſimi Principis merces copioſiſſima, præſervet ipſius Celſitudinem ab omnibus malis, donet ipſam bonâ & conſtante valetudine, benedicat ipſius Illuſtriſſimæ Conjugi & Celſiſſimis Filiis, & Filiabus ac omnibus Dominis Propinquis, benedicat ipſius Regimini, Aulæ, Principatui, Comitatibus & Ditionibus largiſſimè, & poſt hujus vitæ exodum, eam in æterna coeli tabernacula ſuſcipiat, & immarceſcibili gloriæ cœleſtis coronâ largiſſimè beet.

Quid vobis, Celſiſſimi Principes & Domini, Domine LUDOVICE, & Domine GEORGI, Domini Clementiſſimi, pro veſtrâ Principali gratiâ & præſentiâ retribuemus? Cum nos jam nil aliud habeamus, quo Veſtris Celſitudinibus noſtram debitam decenter probemus gratitudinem, quàm devotas noſtras mẽtes & humiles animos, ad quævis ſubjectionis officia demiſſiſſimè paratos, idcirco ipſis nos totos ad humilimè & fideliſſimè inſerviendum paratiſſimos offerimus. Deus vos Haſſiæ Principes ſub alas bonitatis ſuæ divinæ ſuſcipiat, & in hoc ac futuro ſeculo, omnigenâ proſperitate & æternâ gloriâ ſuperabundanter ornet.

Neque Præilluſtrem & Generoſiſſimum Dominum Comitem de Erbach, Dominum noſtrum benigniſſimum, nos præterire fas eſt. Ipſius Generoſitati pro illuſtri ſuâ in nos gratiâ & benigniſſimâ præſentiâ humiles gratias agimus, noſtramq; demiſſam inſerviendi promptitudinem ipſi ſemper offerimus, etiam atq; etiam obſervanter rogitantes, ut ſuam in nos gratiam benignè continuet, neque quicquam de largâ Dei remuneratione dubitet.

Generoſo etiam & Perſtrenuo Domino Pro-Principi, ut & Nobiliſſimo Domino Cancellario Aulico, Dominis Mecoe-

Mecœnatibus & Fautoribus noſtris honorandis, pro ſuis ſalutaribus conſiliis, quibus hoc arduum negotium eſt promotum, próq; ſuâ inſigni in hanc Academiam benevolentiâ, debitas memori de pectore depromimus grates, útq; Academiæ & Profeſſoribus porrò faveant & ſalutari ſuâ dexteritate ſubveniant, inſtanter petimus.

Venerabilibus & Per-Strenuis Dominis Prælatis & Viris Equeſtris Ordinis Nobiliſſimis, nec non reliquis Patriæ noſtræ huc vocatis Statibus pro præſentiâ ſuâ exoptatiſſimâ debitas agimus gratias, relaturi etiam eas, quocunq; poterimus tempore.

Quin etiam Reverendis & doctiſſimis Dominis Paſtoribus aliíſq; huc accerſitis vel ſponte ſuâ huc profectis Fautoribus, Spectatoribus & Auditoribus integerrimis pro ſuo in nos favore, & ardentiſſimis ad Deum, pro felici hujus reſtauratæ Academiæ incremento, fuſis precibus, noſtram officioſiſſimam gratitudinem promittimus.

Cæterùm quòd prædictus Sereniſſimus noſter Princeps ex Facultate Theologicâ, utpote omnium Facultatum, quoad ordinem, primâ, etiam primum Rectorem conſtitui clementiſſimè voluerit, eo ipſo Celſitudo ipſius ſe Paternis veſtigiis ſapienter inſiſtere velle, publicè declaravit. Annales enim noſtri Academici conteſtantur, quòd Celſiſſimus Princeps & Dominus, Dominus LUDOVICUS, Haſſiæ Landgravius &c, Dominus noſter gratioſiſſimus, auguſtiſſimæ memoriæ, primum Scholæ Giſſenſis Rectorem pio graviq; conſilio deſignârit Dn. Johannem Wynckelmannum, SS. Theologiæ Doctorem celeberrimum, ejuſdémq; Profeſſorem primarium, & de totâ Chriſti Eccleſiâ optimè meritum, cujus anima ſit in benedictione perpetuâ.

Quando



Quando autem officium Rectorale mihi Seni, & de omnibus Giſſenſibus Profeſſoribus veteribus jam hîc ſoli ſuperſtiti & præſenti, impoſitum eſſe, exactiùs mecum expendo, tum ejus arduitas & difficultas mihi non levem gignit ſolicitudinem: quam tamen vinco fiduciâ in Deum poſitâ, & Dominorum meorum Collegarum fideli, quam peto & exſpecto, conſilio, ope & induſtriâ promptiſſimâ.

Studioſos ergò ad obſervationem legum Academicarum ſedulam & perſeverantẽ, nomine totius Senatus Academici paternè adhortor, & ab omnibus exceſſibus, ac nominatim ab univerſis actibus Pennalitiis, Satanæ inventis, Dei iram & relegationem Academicam ipſis reis attrahentibus, graviter dehortor. Quòd ſi quidam, prẹter ſpem, hoc monitum paternum ſpreverint, & actus Pennalitios, aliáve maligna facinora patrârint, næ! ipſum Deum & Principem noſtrum, totúmq; ordinem Profeſſorium ſentient ſeveriſſimum Judicem & vindicem. Longè etiam præſtat, paucos bonos, quàm multos malos habere & fovere Studioſos.

Tandem, quia ſine divino Numine nihil boni eſt in homine, ideò te, ô Clementiſſime Deus Pater, per nomen Filii tui Unigeniti, Jeſu Chriſti, Mediatoris noſtri unici, devotiſſimè obſecramus, ut hanc in tuo nomine reſtauratam Academiam, divinæ tuæ gratiæ & Sanctitatis templum, veritatíſq; & pietatis columnam, nec non S. Theologiæ, Juriſprudentiæ, Medicinæ, & Philoſophiæ, ac omnium virtutum ſeminarium facias, atq; laboribus docentium & diſcentium largiſſimè benedicas. Conſerves nos omnes in tibi gratâ, & Academiæ proficuâ concordiâ, ſnq; bonâ & conſtante valetudine clementiſſimè. Quin & Spiritum tuum Sanctum in corda noſtra effundas, ut tibi grata tuóq; verbo conſona,

Eccle-

Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ ſalutaria, & toti Patriæ noſtræ utilia proponamus & doceamus, & piam morigerámq; & ſedulam ſtudioſorum coronam habeamus & conſervemus. Adſis nobis, ô Chriſte Jeſu, tuo Sancto Spiritu, ut docendo & diſcendo fideliter & ſalutariter noſtrum officium faciamus, & in ſincerâ fide, ex omnibus calamitatum fluctibus & luctibus, tempore divinitus præſtituto diſcedamus, & ad portum æternæ vitæ ac beatitudinis, cœleſtiſq; & perpetui gaudii & gloriæ appellamus. Tibi, ô Deus Pater, Fili & Spiritus Sancte, ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſecula, Amen.

Cùm ſic quoq; Vir admodùm Reverendus & Clariſſimus, Dn. JUSTUS FEWRBORNIUS, Rector Academiæ reſtauratæ Magnificus primus, verba ſua abſolviſſet; Muſica exquiſitiſſimis ſonis ad Pſalmum 150. compoſitis plauſum dare, atq; toti ſacrâ in æde negotio introductionis Academiæ cum omnium exultantium atq; congratulantium vocibus finem imponere cæpit, uſq; eâdem quâ in ædem ſacram itum erat ſolemnitate (niſi quod Academiæ miniſtri ſceptra Privilegia & Jura, Sigilláq; Academica ante Academiæ Rectorem præferrent) Sereniſſimi Principes ad Collegium LUDOVICIANUM deducti, atque convivio Principali & publico reliquum quod ſupererat diei, Philoſophorum in Auditorio inſumptum eſt.

Movebat tum Academicæ juventutis animos Sereniſſimorum Celſiſſimorúmq; Principum clementia & humanitas adeò, ut turpe judicarent, non actis prius ab eo convivio ſolemnibus gratiis, diſcedere, aut tantis Heroum filiis præſentiſſimâ oratione non aſſurgere. Suſcepto itaq; eo dicendi onere, CHRISTOPHORUS SINOLD, cognomento SCHÜTZ, Butzbacenſis Wetteravus, J. U. Candidatus,



datus, Juvenis, quâ literas, quâ mores laude dignus, ita ad Principes affabrè loqui exorſus eſt.

## *SERENISSIMI PRINCIPES!*

GRATIARUM actio vetuſtiſſima ſemper fuit Heroas remunerandi ratio, & Principes bene meritos ſolenniori devotione venerari datum nobis non eſt, niſi admirando factorum pulchritudinem, quibus genus humanum obſtringunt. Cùm enim Magnatum conditio in tantum à noſtra differat, ut paria facere velle, rerum ordinem conturbare videatur, priſca prudentia ſatis utriuſq; conſcientiæ conſultum cenſuit, ſi verbis potiùs celebraretur munificentia, quàm factis, & ſentiendo copioſius quàm loquendo. Alia quoq; nobis nunc non reſtat ratio, ut, dum aliud referre non poſſimus, agamus gratias, nihil ſolennius ſpondere, offeramus præcordia.

Etſi verò propè infinita ſint, quæ hac die beneficentiâ SERENISSIMI PRINCIPIS, PARENTIS VESTRI INCLUTI, in patriam, in vicinos, in longè diſſitos redundent bona, attamen, cùm illis ad poſteritatem prædicandis decora ingenia non defutura ſint, extemporaneâ dicendi curâ illorum pretium delibare non debemus. Unicum nunc eſt, quod animos noſtros penitiori ſubmiſſi cultus ſenſu percellit, atq; cui gratitudinis noſtræ rationem conſtare nunquam poſſe putamus, niſi in præſens reddatur: Veſtram SERENISSIMI PRINCIPES auguſtam præſentiam intelligimus, quâ univerſo orbi literato oſtendiſtis, quantam Academiæ hujus dignitatis inpoſterum quoque curam ſuſcipere velit SERENISSIMUS PARENS,

G

RENS, & vos ipſi proprio exemplo docetis, quantum periculi ignavia peſſimum bonæ mentis impedimentum ſub vobis adire debeat.

Quod ſi nihil ultra naſcendi ſortis Majeſtatem in vobis intueri liceret, jam dum ſatis eſſet, unde literæ ſibi gratularentur, poſtquàm malignitate ſeculi indigniùs apud quoſdam haberi cæperunt. Nunc cùm præter cæteras virtutes conſummatiſſimè quoq; eruditi ſitis, & probitate vitę cum Principibus Sanctiſſimis, ingenio cum Prudentiſſimis, famâ cum Maximis comparari poſſitis, quis neget eò fortiùs ad ſubmiſſiſſimæ pietatis adfectum nos adſtringi, quantò eminentiora ſunt, quæ veſtrâ conditione in nos derivantur, beneficia.

Agnoſcimus itaque, non tantùm nos, qui naturâ ipſâ vobis omnia debemus, ſed & reliqui, qui diſcendi cupidine huc venimus, humilimo cultu, gratiam tantam nobis factam, quantam à benigniſſimis Principibus patria ſperare & vovere potuiſſet: Nemóq; unquam in hoc ſacrario vota ſua appendet, qui non ſimul obligationis hujus partem ſibi imputari lubens patietur: Nemo, qui non, cùm de ea cogitet, intimos ſibi ſenſus tangi inexpugnabili illecebrâ videbitur, ac ad æternitatem veſtra nomina cum laude propagare nitetur. Plura dicerem, niſi apud Deos Principesq; pauco ſermone utendum ſcirem.

Faxit Deus, ut ſicut hanc Academiam incomparabili virtute & prudentiâ SERENISSIMI Domini Parentis feliter erectam lætamur, ita ſuâ, ita veſtrâ benignitate, SERENISSIMI PRINCIPES, orbis tantùm terminetur fine.

GRatulationibus ergò omnia plena erant. Neq; verò tantùm eo in convivio, ſed & totâ in urbe Giſsâ, feſtivi-

tas quæ-



tas quædam univerſalis conſpiciebatur, & ſuperbiens quaſi lætitia, utpote quæ non tantùm inter privatos parietes amicorum congreſſibus: ſed & in publico tabulis votivis ad Sereniſſimum Celſiſſimúmq; Heroa & Principem Dn. GEORGIUM Haſſiæ Landgravium &c. ejusq; Sereniſſimam Familiam, atq; Academiam noviter inſtauratam Ionicos teſtabatur motus, prout ex quãpluribus valvis templi affixis, atq; aliunde tranſmiſſis ingenioſis carminibus palàm fiet, quæ benevolus lector hujus operis ad finem inveniet.

Ut verò hactenus gratulationibus certatum erat; ita valvis in templi arbor quoq; quædam Genealogica, omnium in Germaniâ Academiarum intueri dabatur, ingenio ſanè ſubtili à JOHANNE JUSTO WINCKELMANNO J.U.C. Magni quondam Giſſenſis Theologi filio excogitata, cujus ſanè raritas, cùm admirationem mereatur, digna habita fuit, quæ his quoq; ſolennitatum deſcriptionibus adnecteretur, quam proinde poſt concionem in templo Pancratiano habitam conſignatam inveniet lector.

# Chriſtliche Vniverſitäts-Predigt/ Bey RESTAURATION der Löblichen/ Gieſſiſchen Vniverſität/

in der Statt-Kirchen zu Gieſſen / in Hochanſehnlicher/ſehr Volckreicher/Chriſtlicher Verſamlung gehalten/

Durch

PETRUM Haberkorn/ S. Th. D. Prof. P. Pfarrern vnd Superintendenten zu Gieſſen.

## Vorꝛede zur Chriſtlichen Gemein.

GEliebte in Chriſto dem HErrn/ wir ſind billich hier in dem Hauß des HErrn zuſammen kommen/dem bevorſtehenden / ſonderbaren vnd preißwürdigen Actui Gottſelig beyzuwohnen/da der Durchleuchtige/ Hochgeborne Fürſt vnd Herꝛ/ Herꝛ Georg/Landgraf zu Heſſen/ Graf zu Catzenelnbogen/ Dietz/ Ziegenhain/ Nidda/ Iſenburg vnd Büdingen/ꝛc/ der Vatter vnſers Vatter-



lands/ vnſer/gleich wie guthätiger/ alſo erwünſchter/Gnädiger Fürſt vnd Herꝛ/durch S. Fn. Gn. Beede Söhne / die auch Durchleuchtige/ Hochgeborne Fürſten vnd Herꝛn/Herꝛn Ludwigen/ vnd Herꝛn Georgen/beede Landgrafen zu Heſſen/ꝛc/ vnſere auch Gnädige Fürſten vnd Herꝛn/vnd durch S. Fen. Gn. anweſende Herꝛn Statthalter / vnd Herꝛn Cantzler/ die ein zeitlang in Ruhe geſtandene/ alte Gieſſiſche Vniverſität/ vorhochgedachter S. Fen. Gn. zu vnſterblichem Ruhm/ wieder auffzurichten/vnd in Gang zu bringen/ Chriſt-Fürſtlich begehret; vnd ſolches Gott dem Allerhöchſten zuvorderſt zu ſeines heiligen/ Göttlichen Namens Lob vnd Preyß/ zu vnſers lieben Vatterlands Nutzen/ zu der Chriſtlichen Kirchen vnd Schulen Beſtem/ der lieben ſtudierenden Jugend zum heylſamen Erſprieſen/ Ja der gantzen/ werthen Chriſtenheit zu behäglicher ſich weit außbreitender Wolfarth.

Deßwegen wir vns billich hochzuerfrewen/ vnd vorhochgedachter S. Fen. Gn. für ſolchen hochrühmlichen Eiffer/ vnd herꝛliche Wohlthat/ allen demütigen vnd vnderthänigen/ gebürlichen Danck zuſagen haben.

Damit aber dieſes herꝛliche Fürhaben vnd Wercke/ ſo wohl mit des groſſen Gottes vnd HErꝛn

Himmels vnd der Erden / heyligem Wohlgefallen / als auch mit gnädiger Verleyhung ſeines kräfftigen / überreichen vnd jmmerwärenden Segens hierzu/zu gedachtem Ende verrichtet werde: So iſt hoch vonnöthen/ daß wir vns zu allererſt zum lieben GOtt/als dem Brunquellen alles Himliſchen Segens von Hertzen wenden/vnd hiervon ſo wohl auß ſeinem H. Wort eine Vniverſitäts-Predigt andächtig anhören / als auch denſelben mit hertzlichem/ glaubigen Gebet vmb Göttliche Hülff vnd Segen hierzu anruffen. Dann hier fürwahr es gilt / was man zuſagen pfleget: **An Gottes Segen iſt alles gelegen.**

Darumb dan nun / damit dieſes alles vorher von vns der Geſtalt verrichtet werden möge / daß es geraiche Jhm/ dem lieben/ frommen Gott/zu ſeines H. Namens Lob/Ehr vnd Preiß: der werthen Chriſtenheit zu heylſamen Gedeyen: der Gieſſiſchen Vniverſität / ſo jetzo wieder ſoll aufgerichtet werden / zu hochgeſegnetem Anfang vnd Fortgang: vnd zu vnſer aller/zeitlichen vnd ewigen Wolfarth; So wollen wir vns für dem H. Angeſicht Gottes demütigen/ vnd von Hertzen alſo beten:

Vatter Vnſer/ ꝛc.

Die



Die Worte / ſo wir für dißmahl auß H. Schrifft / in der Forcht Gottes anhören vnd in bevorſtehender Predigt abhandlen wöllen / werden vns beſchrieben Luc. 7. v. 4.5.6.

**Da ſie aber zu Jeſu kamen / baten ſie jhn mit fleiß / vnd ſprachen: Er iſt ſein werth/ daß du jhm das erzeigeſt. Dan er hat vnſer Volck lieb / vnd die Schule hat er vns erbawet. Jeſus aber gieng mit jhnen hin.**

## Eingang zur Predigt.

DA der König vnd Prophet David / von Chriſti Reich vnd deſſen Außbreitung durch die gantze Welt weiſſaget / hat er endlich die Oberkeit vnd Fürſten auff Erden zum zweytenmahl alſo angeredet: Machet die Thore weit / vnd die Thür in der Welt hoch/ daß der König der Ehren einziehe / wer iſt derſelbe König der Ehren? Es iſt der HERR ſtarck vnd mächtig / der HERR mächtig im Streit/ das iſt/Er will/daß die Fürſten vnd Gewaltigen auff Erden die Thür vnd Thor jhrer Städten vnd Landen Chriſto Jeſu weit vnd hoch auffſperren/ damit Er daſelbſt einkehre/ vnd ſeine Kirche ein ſichere vnd beſtändige Herberge darinnen haben könne.

Es hat auch der H. Geiſt vorher verkündiget / daß ſolche ſeine Vermahnungen an die Gewaltigen nicht ohn ſonderbaren Nu-

ren Nutzen vnd Wirckung ſeyn werden / ſondern es werde ge-
ſchehen/daß/ wan die Fürſten der Welt ſolche Vermahnungen
Gottes vernehmen würden / ſie gar gern vnd ſehr gutthätig/
Chriſtum mit ſeiner Kirchen aufnehmen / vnd die Pforten jh-
res Lands jhm aufmachen werden. Dan ſolches hat David im
Geiſt vorher geſehen/ vnd alſo geſaget: **Die Fürſten vn-
der den Völckern ſind verſamlet zu einem Volck dem
Gott Abraham: Dan Gott iſt ſehr erhöhet bey den
Schilden auf Erden/** Pſal. 47. v. ult. Auch der Prophet
Eſaias / c. 49. v. 23. da er die Chriſtliche Kirchen alſo anredet:
**Die Könige ſollen deiner pflegen/ vnd jhre Fürſten
deine Seugamme ſeyn.** Wie es dan die wirckliche Erfül-
lung/von Anfang der Chriſtlichen Kirchen / biß auff dieſe vnſe-
re Zeit / auch überreichlich im Werck ſelbſten erwieſen hat; In
dem zu aller Zeit Chriſtliche Kayſer / Könige / Fürſten vnd
Herrn auch Univerſitäten vnd Hohe Schulen / als welche
auch / als Seminaria vnd ſchöne Saaten der Chriſtlichen Kir-
chen / dazu gehören / Chriſtlich aufgerichtet/reichlich begabet/
vnd herrlich erhalten haben. Wir haben dißmahl nicht von-
nöthen/auß den altẽ Kirchen- vñ andern Hiſtorien/die Exempel
der Chriſtlichen/löblichen Kayſer /des Conſtantini M. Theo-
doſii, Caroli M. der Ottonum, Henricorum, Churfürſten vñ
anderer anzuziehen. Wir haben in vnſerm lieben Vatterland zu
fürtrefflichen Exempeln / den Philippum, den Großmütigen/
Landgrafen zu Heſſen/ ꝛc/ Chriſtmilden Andenckens/ vnd nach
demſelben / den Ludovicum, den Getrewen / Landgrafen zu
Heſſen/ꝛc/ Hochſeliger Gedächtniß; welche zu Ihrer Zeit/mit
Ihrem jmmerbleibenden Ruhm/in Heſſenland ſtattliche Uni-
verſitäten fundiret vnd begabet haben / Jener die Univerſität
zu Marpurg/dieſer die Univerſität zu Gieſſen. Jetzo haben





wir zum herrlichen Exempel / vorhochermelten vnſers Gnädi-
gen Lands-Fürſtens vnd Herrns / Herrn Georgens/ Landgra-
fens zu Heſſen/ꝛc/ F. Gn. Dero Fürſtliche Perſon / Regiment/
vnd alle Hochangehörige / Gott auß ſeines Himmels-Thron
reichlich ſegnen wölle! Darumb wir vnſers Orts diß ſonder-
bare / herrliche/hochlöbliche Fürhaben nicht anders bedencken
vnd anſehen ſollen / als daß S. Fe. Gn. Chriſto JEſu ferners
die Thoren Ihres Lands / vnd die Pforten dieſer Ihrer Statt
vnd Feſtung/aufſchlieſſen vnd aufthun.

Auff daß wir aber Vrſach haben mögen / die hohe Noth-
wendigkeit/vnd fürtrefflichen Nutzen der Univerſitäten/herge-
gen den ſehr groſſen Schaden / im Fall des Mangels derſelbi-
gen / hertzlicher vnd tieffer zuerwegen; wir auch mehr zum glau-
bigen Gebet / vnd Gotte deſto mehr Lob vnd Danck zuſagen/
mögen erwecket vnd auffgemuntert werden: Wohlan/ſo wöl-
len wir den abgeleſenen Schul-Text zur Hand nehmen/ denſel-
ben zuerſt erklären / vnd dan auch vernehmen / was wir für diß-
mahl auß demſelben zu vnſerm Vnderricht/Lehr vnd Troſt zu-
behalten haben. Gott der Allerhöchſte Scholarcha wölle vns
hierzu verleyhen / die Gnad vnd Krafft des heyligen werthen
Geiſtes / durch Chriſtum Jeſum / vnſern lieben HERRN vnd
Heyland/Amen!

## Erklärung des Textes.

VNſer verleſene Text hält nachfolgende Stücke in ſich:
1. Interceſſionem Seniorum populi apud
Jeſum pro Centurione, die Fürbitte der Eltiſten des
Volcks bey JEſu für den Häuptman. Dieſer Häuptman zu
Capernaum war mit einem ſonderbaren Hauß-Creutz bela-
den/von welchem er begehrte erlediget zu werden/in dem jhm ein

getrewer vnd ſehr lieber Diener ſehr kranck zu Hauß darnider gelegen. Dieweil er aber als ein Heyde ſich vnwürdig achtete/ deme Chriſtus ſolche Gutthat erzeigete/ vnd ſeinen Knecht wider geſund machete; So hat er die Elteſten des Jüdiſchen Volcks in bemelter Stadt angeordnet/ für jhn bey Chriſto eine bewegliche Fürbitte zuthun/ als welche er dafür hielte/ daß ſie/ als auß welcher Geſchlecht Chriſtus dem Fleiſche nach/ bürtig war/ weit eher vnd williger werden erhöret werden/ als wan Er/ der Heydniſche Häuptman ſelbſt ohnmittelbar würde hinzutretten/ vnd vmb Hülff anhalten. Dieſſes wollen die Elteſten des Volcks jhm auch keines Weges abſchlahen/ ſondern erweiſen jhm/ ſeinem inſtändigen Begehren nach die Freundſchafft/ daß ſie eine gute Collecten bey Chriſto für jhn einlegen. Vnd ſolches nicht allein deßwegen/ daß es an ſich ſelbſt wohl ſtehet/ vnd ein Menſch dem andern alle beförderliche/ behägliche Hülffe vnd Freundſchafft zuerweiſen/ vnd ſich vmb einander wohl verdienet zumachen/ ſchuldig iſt/ ſondern auch darumb/ daß dieſer Häuptman dem Judiſchen Volck auch ſehr viele Gutthaten vnd ein trewe Freundſchafft erzeiget hatte/ daß deßwegen billich alhier hat ſtatt haben ſollen/ was man ſaget: χάρις χάριν τίκτουσα, ein Hand waſchet die andere/ vnd eine Ehr iſt der andern wieder werth. Es hält aber dieſer Text ferner in ſich

2. Commendationem horum Interceſſorum, die Lobung dieſer angeſtelleten Fürbitter/ damit ſie dieſen Häuptman herzlich heraußſtreichen/ vnd jhn ſehr hoch commendiren. Dan auß der Vrſachen wollen ſie jhn ſehr hoch vnd ſonderlich preyſen/ der werth ſey/ welchem Chriſtus alle gnädige Benevolentz vnd getrewe Hülfe erweiſe/ dieweil er/ wiewohl er ein Heyd ſey/ dannoch dem Judiſchen Volck mit groſſer Liebe vnd Gewogenheit zugethan/ vnd jhrer/ der Juden/ Religion nicht abhold/ ſondern zu derſelben überauß geneiget ſey; vnd auß ſolcher





ſolcher ſonderlichen Affection gegen ſie/ habe er auf ſeinen eygenen Vnkoſten/ jhnen ein eygene Schul auffbawen laſſen/ darinnen die Theologia vnd Gottes Wort gelehret/ auch die Jugend vnd andere vnterrichtet werden können/ wie dan **Moſes von langen Zeiten her in allen Städten des Judiſchen Lands hat/ die jhn predigen/ vnd wird alle Sabbathtage in den Schulen geleſen**/ Actor. 15. v. 21. Endlich hält vns vnſer Text auch für/ vnd zwar

3. Exauditionem Chriſti, die Erhörung Chriſti. Dan Chriſtus hat es ſehr hoch gehalten/ daß dieſer Häuptman auß ſonderlichem Glauben vnd Andacht gegen Gott/ auß hertzlicher Liebe zu dem Geſetz vnd den Propheten/ vnd auß freundlicher/ gutthätiger Gewogenheit gegen die Juden/ vmb jhres Gottesdienſtes willen/ den Juden zu Capernaum ein eygene Schul mit ſeinem Vnkoſten/ ſehr freygebig hat auffrichten laſſen. Darumb dan er auch alßbald auffſtehet/ will hingehen vnd helffen. Dan das heiſſet **auff den Geiſt**/ das iſt/ auff Kirchen vnd Schulen/ **ſäen**/ auff daß daher die Vnderrichtung **zum ewigen Leben eingeärndet werde**/ wie S. Paulus lehret/ Gal. 6. v. 8. So viel von Erklärung des Textes; Folget nun:

## Der Lehr-Puncten.

DAn hierauß haben wir dißmahl ſonderlich zu lernen/ **wie ein hoch nothwendig/ heilſam vnd nützliches/ auch dem lieben Gotte ſehr wohlgefälliges Wercke es ſey**/ Academien **oder Hohe Schulen auffrichten**/ dotiren **vnd erhalten.** Solches iſt offenbar auß gegenwärtigem Exempel/ von welchem wir bißhero in des

der Erklärung vnſers Texts gehöret haben; vnd daſſelbe wöllen wir ferner auß gantzer H. Schrifft erläutern vnd beweiſen.

Dem Adam hat GOtt ein herrliche Wiſſenſchafft von natürlichen Dingen vnd Thierern gegeben vnd eingepräget / daß er daher einem jeden einen ſolchen Namen hat geben vnd beylegen können / welcher ſich gar artig auff ſeine Natur geſchicket / vnd dieſelbe ſehr ſchön beſchrieben vnd exprimiret hat / dan wie der Menſch allerley lebendige Thier nennen würde / ſo ſollen ſie heiſſen. Vnd der Menſch gab einem jeglichen Viehe / vnd Vogel vnder dem Himmel / vnd Thier auf dem Felde / ſeinen Namen / ſagt Moſes / Gen. 2. v. 19. Dieſe Wiſſenſchafft / ſo viel er von derſelben nach dem Sünden-Fall übrig behalten / hat Adam hernach ohn allen Zweiffel / wie auch fürnehme Scribenten vnd Doctores heut zu Tag ſolches beſtättigen / offentlich profitiret / vnd auff die Nachkommene / Patriarchen / vnd andere fortgeleitet / daß wir auch noch heut zu Tag / auß ſolcher des Adams Information vnd trewer Profeſſion etlicher Maſen nicht ein geringe Wiſſenſchafft von natürlichen Dingen haben / welche hernach durch die Experientz ſelbſt von Tag zu Tag zugenommen hat / vnd vermehret worden iſt.

Von dem Patriarchen Abraham wird etlich mahl geleſen / daß er an vnterſchiedlichen Orten dem HERRN einen Altar gebawet / vnd daſelbſt von dem Namen des HERRN geprediget habe / als Gen. 12. v. 8. c. 13. v. 4. vnd v. 18. c. 21. v. 33. Was iſt aber ſolches anders geweſen / als eine Schul auffthun / in welcher Abraham die reine / vnverfälſchte vnd ſeligmachende Theologiam offentlich gelehret hat / damit die Erkäntniß derſelben auch auff die Nachkommene möch-





te gebracht werden / ja auch dieſelbe auff die vmbliegende vnd benachbarte Völcker käme. Daß alſo auß dieſer / des Abrahams / als eines publici Profeſſoris vnd Patriarchen / offentlicher vnd herrlicher / reinglaubiger Profeſſion / ein groſſes Liecht von Gott / hin vnd wider auffgangen / wie ſolches auß dem einigen Exempel des rechtglaubigen Prieſters vnd Königes / des Melchiſedecks zu der Zeit erſcheinet / welcher den höchſten Gott / welcher Himmel vnd Erden beſitzet / erkant / denſelben gelobet / vnd den Abraham ſelbſt in deſſen Namen geſegnet hat. Auch daher gar glaublich / es werden Aner, Mamre vnd Eſcol, als Bundsgenoſſen des Abrahams / den wahrē Gott recht erkandt habē / dan ſonſten Abraham keine Verbündnuß mit ihnen würde eingangen vnd gemacht haben / Gen. 14. v. 17. ſeqq. Vom gantzen Predig-Ampt / ſchreibet Lutherus S. über dieſe Stellen vom Abraham / redet Moſes / gleich wie auch die Anruffung ſelbſt das gantze Predigampt in ſich ſchleuſt. Dan wie ſollen ſie anruffen / an welchen ſie nicht glauben? Wie ſollen ſie glauben / wan ſie keinen Lehrer haben? So iſt nun diß die Meynung / nemlich da Abraham dem HERRN einen Altar gebawet / vnd daſelbſt ihn angeruffen hat: Er hat die ſeine von dem Namen des HERRN vnterrichtet / auff daß ſie lerneten / wie Gott barmhertzig ſey / ſey dem menſchlichen Geſchlecht gar wohl gewogen / meyne es überauß gut mit demſelben / dan er einen Samen verheiſſet / durch welchen der Zorn aufgehoben / vnd der

ewige Segen wieder erſtattet werden ſoll / ſo da durch die Sünde im Paradeiß verlohren worden.

Der H. Geiſt erzehlet auch von dem Samuel / daß er ein eygenes Collegium gehalten / darinnen er ſeine Diſcipel fleiſſig vnderrichtet / nemlich zween Chor Propheten / vnd er wird genennet / jhr oberſter Scholarch / Vorſteher / oder wie es Lutherus gedollmetſchet hat / jhr Auffſeher / 1. Sam. 19. v. 18.

Ebenmäſſig haben auch die beede Propheten / Elias vnd Eliſa / jhre Schulen gehalten / darinnen ſie jhre Scholaren gehabt / welche ſie in allem Guten / vnd ſonderlich in der Theologiâ vnd wahrer Erkantniß Gottes / vnterrichtet haben / vnd ſie daher der Propheten Kinder genennet werden / welche für jenen / als jhren Præceptoren gewohnet haben / wie hiervon an vnderſchiedlichen Orten zuleſen ſtehet / als 2. Reg. 2. v. 3. c. 4. v. 1. vnd v. 38.

Im Alten Teſtament ſind auch auß dem Stam Simeon / (welcher in den Segnungen des Jacobs / Gen. 49. v. 5. vnd Moſis / Deut. 33. v. 8. mit dem Stam Levi / für einen Stam gleichſam gehalten / vnd zu dieſem gethan wird /) ſind Schrifftgelärten herkommen / von welchen man dafür hält / daß ſie vnter dem Volck Gottes / das Geſetz Gottes nicht allein / ſo fern ſolches die Theologî vnd den Gottesdienſt / ſondern auch die Juriſprudentz / wie dieſelbe damahls geſtellet vnd auff das Judiſche Volck gerichtet war / in ſich faſſet / gelehret haben. Vnd in ſolchen jhren Schulen ſind aufferzogen vnd herkommen / Prieſter vnd Juriſten / auß welchen nachmahls iſt beſtellet vnd beſetzet worden / das groſſe Synedrion, oder der groſſe

Rath



Rath der Cantzley / vnder dem Jüdiſchen Volck / davon zuleſen iſt Deut. 17. v. 8. ſeqq. 2. Paral. 19. v. 8. ſeqq. Die weltliche Fürſten vnd Regenten haben auch ſolche Juriſprudentz des Geſetzes Gottes von jhnen gelernet / daß es geheiſſen: Von Machir ſind Regenten kommen / vnd von Sebulon ſind Regierer worden durch die Schreibfeder / Judic. 5. v. 14. Daher im Newen Teſtament ſolche Lehrer offtmahl / γραμματεῖς, νομοδιδάσκαλοι, Schrifftgelehrten / Geſetz-Lehrer / genennet werden / als Luc. 5. v. 17. Matth. 2. v. 4. &c. Vnd als hernach Herodes der Bluthund / dieſe Lehrer oder Rabbanan / oder die höchſte Doctores, darumb daß ſie nach vnd auß dem Geſetz Moſis Deut. 17. v. 15. dem Herodi / als einem frembden / das Regiment abſprachen vnd zu jhm ſagten / es ſtehet geſchrieben: Du ſolt auß deinen Brüdern einen zum Könige über dich ſetzen; du kanſt nicht jrgend einen frembden / der nicht dein Bruder iſt / über dich ſetzen / mit dem Schwerdt außgerottet vnd getödtet hatte / hat man pflegen zuſagen / cum extinxiſſe ſolem mundi, er habe die Sonne der Welt außgetilget / wie im Tractat Sanhedrin erzehlet wird. Euſebius nennet dieſelbe ὑφηγητὰς τῶν ἱερῶν νόμων, das iſt / Außleger des heyligen Geſetzes.

Auch bey den Heyden ſind die Schulen vnd Academien für hoch nothwendig gehalten worden. Was der Keyſer Nebucadnezar für eine Schul vnd Academiam gehabt habe / das wird Dan. 1. v. 4. beſchrieben / nemlich daß darin iſt vnderrichtet worden die ſtudirende Jugend / 1. in omni ſapientiâ, in aller Weißheit / das iſt / in Erkantniß der hohen / Göttlichen Dingen vnd Geheimniſſen; 2. Noſcentes ſcientiam, daß ſie

gewuſt

gewuſt haben allerley Wiſſenſchafft/ nemlich die Philo-phi, die Phyſic, die Aſtrologi, darinnen die Chaldæer ſonderlich berühmt geweſen ſind; 3. Intelligentes diſciplinam, daß ſie allerley nöhtige vnd gebräuchliche Diſciplinen wohl gefaſſet haben/ als/ die Ethicam, Politicam, Oeconomiam, &c. Kürtzlich/ der König hat auff dieſer Schul Theologos, Politicos vnd Philoſophos wollen erzogen vnd vnderrichtet haben/ deren er hernach zu Hof vnd in der Regierung ſich nützlich gebrauchen könte. Vnd wie wohlgefällig ſolches dem lieben Gott geweſen ſey/ das hat der Außgang folgends gnugſam bezeuget/ in dem die H. Schrifft ſelbſt ſagt/ der GOtt der Iſraelitiſchen Knaben gab jhnen Kunſt vnd Verſtandt in allerley Schrifft vnd Weißheit/ dem Daniel aber gab er Verſtand in allen Geſichten vnd Träwmen/ Dan. I. v. 17.

Die Griechen haben eine überauß herꝛliche vnd in aller Welt berümte Univerſitæt zu Athen gehabt/ welche deßwegen eine inventrix omnium bonarum artium, Philoſophorum & Oratorum Mater, & Poëtarum alumna, Erfinderin aller guten Künſten/ eine Mutter der Philoſophorum vnd Redner/ vnd eine Erhalterin der Poeten iſt genennet worden. Auff ſolche hat ſich der vortreffliche Poet Virgilius begeben/ daſelbſt zu ſtudiren/ wie ſolches der Horatius andeutet. Dahin hat auch Cicero ſeinen Sohn/ den Marcum geſchicket/ vnd jhn dem Cratippo recommendiret/ auf denſelben Achtung zu geben/ vnd jhm beyräthig zu ſeyn. Welcher Univerſitæt auch Actor. 17. v. 18. ſeqq. gedacht vnd erzehlet wird/ daß auch S. Paulus mit den Philoſophis derſelben diſputiret habe.

Bey den Heyden iſt kaum einer zur Regierung kom̃en/ oder



oder zum König erwehlet worden/ ohn/ der zuvor vnder der Gelärten Diſciplin geweſen/ vnd von denſelben in allen Künſten vnd Weißheit trewlich vnderrichtet worden iſt. Solche ſind bey den Chaldæern vnd Perſern die Magi oder Weiſen geweſen/ deren auch Matth. 2. v. 1. ſeqq. der H. Geiſt gar rühmlich gedencket; Bey den Indianern die Gymnoſophiſtæ; Bey den Gallis die Dryidæ vnd Philoſophi, &c. Ariſtoteles erzehlet l. 2. Rhet. dz Plato habe pflegē zuſagē/ Alßdan werde es wohl in der Welt ſtehen/ wan entweder die Könige gelernet hetten/ weiß zuſeyn/ oder die Weiſen gelernet hetten/ wie man regieren ſolle. Vnd daher hat Philippus der König der Macedonier/ ſeinen Sohn/ den Alexandrum Magnum, dem Ariſtoteli vnder ſeine Information vnd Diſciplin gethan/ vnd jhm auff dieſe Weiſe zugeſchrieben: Ich dancke Gott/ nicht eben/ daß ich einen Sohn bekommen habe/ ſondern weil er zu deinen Zeiten geboren iſt. Dan ich hoffe/ es werde geſchehen/ daß du jhn trewlich vnderweiſeſt/ vnd daher ein tüchtiger Regent werde. Bey den Egyptiern war auch vor Zeiten kein König/ ohn der ein Prieſter war/ vnd keiner wurde zum Prieſterthumb befordert/ ohn der ein Philoſophus war/ wie faſt aller Orten die Hiſtorien bezeugē.

Sirach der fromme vnd kluge Haußlehrer rühmet vnd lobet zum höchſten die Medicin, da er ſagt: Ehre den Artzt mit gebührlicher Verehrung/ daß du jhn habeſt zur Noth. Dan der HERR hat jn geſchaffen/ vnd die Artzney kompt von dem Höchſten/ vnd Könige ehren jhn. Die Kunſt des Artztes erhöhet jhn/ vnd macht jhn groß bey Fürſten vnd Herꝛn. Der HERR läſt die Artzney auß der Erden wachſen. Vnd ein Vernünfftiger verachtet ſie nicht. Ward doch das bitter

Waſſer ſüß durch ein Holtz / auff daß man ſeine Krafft erkennen ſolle. Vnd er hat ſolche Kunſt den Menſchen gegeben/daß er gepreiſet würde in ſeinen Wunderthaten. Damit heilet er/vnd vertreibet die Schmertzen / vnd der Apothecker machet Artzney darauß. Summa/Gottes Werck kan man nicht alle erzehlen / vnd er gibt alles was gut iſt auff Erden/ c. 38. v. 1. ſeqq. Hernach rühmet er auch das Studium Theologicum, vnd ſagt: Wer die Schrifft lernen ſoll/der kan keiner andern Arbeit warten; vnd wan man lehren ſoll / der muß ſonſt nichts zu thun haben; Wer ſich drauff geben ſolt / daß er das Geſetze des Höheſten lerne/Der muß die Weißheit aller Alten erforſchen/ vnd in den Propheten ſtudiren. Er muß die Geſchicht der berühmten Leute mercken / vnd denſelben nachdencken/ was ſie bedeuten vnd lehren. Er muß die geiſtlichen Sprüche lernen / vnd in den tieffen Reden ſich üben. Der kan den Fürſten dienen/vnd bey den Herrn ſeyn; Er kan ſich ſchicken laſſen in frembde Lande/ dan er hat verſucht / was bey den Leuten taug/ oder nicht taug: Vnd dencket/ wie er früe auffſtehe/den HERRN zuſuchen/ der jhn geſchaffen hat/vnd betet für dem Höchſten. Er thut ſeinen Mund getroſt auff/ vnd betet für des gantzen Volcks Sünde. Er beweiſets/ was er ſagt/mit der H. Schrifft.



H. Schrifft. Vnd viel verwundern ſich ſeiner Weißheit / vnd ſie wird nimmermehr vndergehen. Sein wird nimmermehr vergeſſen/vnd ſein Name bleibet für vnd für. Was er gelehret hat/ wird man weiter predigen / vnd die Gemein wird jhn rühmen. Dieweil er lebt/hat er einen gröſſern Namen/dan andere tauſent/ vnd nach ſeinem Todt bleibet jhm derſelbe Name/c. 38. v. 25. c. 39. v. 1. ſeqq.

Jm Newen Teſtament / hat ſich Chriſtus der Sohn Gottes in ſeinem Fleiſch/ da er zwölff Jahr alt war/ mitten vnder die Lehrer zu der Zeit begeben / mit jhnen auß H. Schrifft diſputiret/vnd ein ſehr gelärtes Geſpräch gehalten/vnd hat hiemit klärlich gezeiget / was er von den Theologiſchen diſputationibus auf Hohen Schulen halte / nemlich/ daß ſie jhm ſehr wohl gefallen / vnd er dieſelbe als hochnützlich vnd nöhtig approbire/Luc. 2. v. 46. Hernach hat Er ſich in die Schul der Juden zu Nazareth begeben / vnd auß H. Schrifft gar ſchön mit jhnen conferiret/Luc. 4. v. 16. ſeq. Was auch für Academiſche Collegia zu Jeruſalem geweſen ſeyen / das ſihet man auß Act. 6. v. 9. Als da der Schul der Libertiner/vnd der Cyrener/vñ Alexanderer/vñ deren/die auß Ciciliâ vñ Aſiâ waren/ mit welchen Stephanus diſputiret hat/ gedacht wird. Sonderlich iſt bey den alten Rabbinen ſehr berühmt der Schrifftgelärte / Hillel, vnd nach jhm/der Gamaliel, welcher Act. 5. v. 34. ein Phariſæer vnd Schrifftgelärter genennet wird/ wohl gehalten für allem Volck/ vnd daſelbſt einen guten Rath in dem Conſiſtorio für die lieben Apoſteln gegeben hat. Welcher dan viel herrlicher vnd fürtrefflicher Leut

vnd Doctores in ſeiner Schul erzogen hat / als zum Exempel den Onkelum, gleich wie auch jener/der Hillel, den Jonathanem / beede hochberümte Chaldæiſche Dollmetſcher der H. Schrifft. Der H. Apoſtel Paulus ſelbſt erzehlet / daß er des Gamaliels Diſcipel geweſen / vnd zu ſeinen Füſſen geſeſſen ſey/ Act.22. v. 3. ſeq. Auch vnder deſſen Information über viele ſeines gleichen in ſeinem Geſchlechte/ im Judenthumb zugenommen/ vnd ſie vbertroffen habe/ Gal.1.v.14. Die Rabbinen pflegen auch dem jenigen / welcher Schulen auffrichtet vnd erhält/zu Lob zu ſagen:

*Multiplicans divitias, multiplicat curas;*
*Multiplicans carnem, multiplicat vermes:*
*At multiplicans Scholas, multiplicat ſapientiam.*

Das iſt:

Wer ſein Reichthumb vermehret / der vermehret nur Sorgen;
Wer ſein Fleiſch vermehret / das iſt / fett vnd dick wird vnd ſich mäſtet / der vermehret nur deſto mehrere Würm / welchen er endlich zur Speiß werden muß;
Wer aber Schulen auffrichtet vnd vermehret / der vermehret Weißheit vnd Geſchickligkeit vnder den Menſchen in der Welt.

*Vide Buxt. in Lexico Chald. Thalm. Rabb. f.1094.*

Sie pflegen auch eine Academî, einen Weinberg zu nennen/ nicht allein / weil die Scholaren darin gleich wie die gepflantzete Weinſtöcke in gewiſſer Ordnung vnd Reyhe nacheinander ſitzen / ſondern auch/ gleich wie in den Weinbergen friſche Wein-Reben erzogen werden / ſo folgends an die Stätte der erſtorbenen/alten Weinſtöcke eingeſetzet werden / Alſo werden auff Hohen Schulen friſche Pflantzen / vnd ſeine junge gelärte





lärte Leute aufferzogen / welche nachmahls an die Stelle vnd Dienſte der Alten / ſo geſtorben / mögen ſurrogiret vnd beſtellet werden/ſo wohl in Kirchen vnd Schulen/als auch ſonſten in der Republic.

Mit was für Gottſeligem Eiffer die Chriſtliche Keyſer/ Könige/Chur-Fürſten/ Grafen vnd Herrn/ bißher viel fürnehme Academien in vnd auſſer Teutſchland auffgerichtet/ mit was für herrlichen Privilegiis ſie dieſelbe begabet / vnd ſie hochrühmlich mit reichen Außlagen erhalten haben / das iſt nicht nöhtig/jetzo mit vielem zu wiederholen/ dieweil es ohn das überall bekandt iſt. Eines erzehle ich nur von dem Keyſer Theodoſio, welcher / als er die Hohe Schul zu Bononien Anno 423. auffgeführet/hat er ſie genennet: Scientiarum omniũ fontem & Arcanorum ſuorum armarium, das iſt/ein Brunquellen aller Künſten vnd Wiſſenſchafften / vnd eine Rüſt-Kammer ſeiner geheimden Rathſchlägen.

Auß welchem vnſer fürgenommene Lehr-Punct zum Vberfluß erwieſen vnd offenbar iſt.

## Gebrauch dieſer Lehr.

DJeſer Lehr-Punct aber von Hohen Schulen vnd Academien ſoll vns nu auch dienen /

1. In debitam actus hujus ſolenniſſimi conſiderationem, zu einer billigmäſſigen vnd danckbaren Betrachtung dieſes herrlichen Inſtaurations-Actus, was nemlich vnſer Gnädige Lands-Fürſt vnd Herr heut für ein hohes/Gott ſonderlich wohlgefälliges / fürnehmes / hochlöbliches vnd herrliches Wercke verrichte / in dem S. F. Gn. dieſe Gieſſiſche Univerſität wieder preißwürdigſt inſtauriren vnd einführen. Würdig ſind Sie / daß wir auch derſelben jetzo vnd allezeit zuruffen/vnd für dieſelbe zu Chriſto beten/ vnd ſagen: HERR

JEſu/ Er iſts werth/ daß Ihm wieder alles Guts erwieſen werde/ dan Er hat uns ein hohe Schul auffgerichtet.

2. In excitationem ad pias preces, zur Auffweckung unſer zum hertzlichen Gebet jetzo für dieſe Univerſität zu Gott/ daß nemlich der liebe HErr JEſus Chriſtus dieſelbe/ beſtändig/ für allerley Unkraut des leidigen Sathans/ behüten/ Matt. 13. v. 25. und hergegen dieſelbe/ als ſeinen Weinberg/ mit Himliſchem/ reichen Segen von oben herab begnadigen wolle/ Pſal. 80. v. 15. ſeq. Gleich wie Salomon/ als er den Tempel des HErrn nunmehr erbawet hatte/ von Hertzen zu Gott betete/ daß er doch nun auch Gnade und Segen/ Heyl und alle Wolfahrt darin und dazu beſcheren wolle/ 1. Reg. 8. v. 22. ſeqq. Und Chriſtus/ als er das H. Apoſtel- und Predig-Ampt einſetzen wolte/ hat er fürwahr die gantze Nacht im Gebet für daſſelbe zu ſeinem Vatter/ umb kräfftigen Fortgang deſſelben/ zugebracht/ Luc. 6. v. 12. 13. demſelben ſollen wir jetzo auch nachfolgen.

3. In docentium & diſcentium admonitionem, zur trewen Vermahnung der Lehrenden und Lernenden. Dan je herzlicher diß Werck iſt der Auffrichtung der Gieſſiſchen Univerſität/ je mehr ſollen alle bey derſelben dahin allein und embſig ziehlen/ damit Gottes Ehr befordert/ und der Chriſtenheit viel Nutzen darauff geſchaffet werde/ **dienet einander ein jeglicher mit der Gabe/ die er empfangen hat/ als die guten Haußhalter der mancherley Gnaden Gottes. So jemand redet/ daß ers rede als Gottes Wort. So jemand ein Ampt hat/ daß ers thue als auß dem Vermügen/ das Gott darreicht. Auff daß Gott in allen Dingen gepreyſet werde/ durch JE-**

ſum



**ſum Chriſt/ welchem ſey Ehre und Gewalt von Ewigkeit zu Ewigkeit!** ſagt S. Petrus/ 1. c. 4. v. 10. 11. **Dan verflucht ſey/ der des HERRN Werck läſſig thut/** Jerem. 48. v. 10. Wan dan ſie alle auff dieſer Univerſität fleiſſig ſeyn werden/ **So werden die Lehrer leuchten wie des Himmels Glantz/ und ſo viele zur Gerechtigkeit weiſen/ wie die Sterne immer und ewiglich/** Dan. 12. v. 3. Dazu uns allen verhelffe Gott Vatter/ Sohn und H. Geiſt/ Hochgelobt und geliebt in Ewigkeit/ Amen!

## Danckſagung und Gebet für die reſtaurirte Gieſſiſche Univerſität/ zu Gott dem HErrn/ nach der Predigt.

O Barmhertziger Gott und Vatter/ wir ſagen dir von Grund unſerer Hertzen Lob/ Preiß und Danck/ daß du durch unſern lieben Lands-Fürſten und Herrn/ zu deines heyligen und groſſen Namens Ehren/ auch unſerm Vatterland/ ja der gantzen werthen Chriſtenheit zum Beſten/ uns zu dieſen betrübten Zeiten/ die hiebevorige/ reinglaubige Univerſität und Hohe Schul zu Gieſſen wieder auffrichten läſſeſt. Laß dir ô frommer Gott unſern lieben Lands-Vatter mit S. F. Gn. geliebten Herrn Söhnen/ unſern gnädigen Fürſten und Herrn/ und allen Hochangehörigen/ in deinen Göttlichen Schutz und mildreichen Segen trewlich anbefohlen ſeyn/ und vergelte/ ô HErr JEſu Chriſte/ Ihme/ als ei-
nem eiferigen/ reinglaubigen und gutthätigen Pfleger deiner *Eſa. 49. v. 23.*
Kirchen und Schulen/ ſolche ſeine Chriſt-Fürſtliche Liebe und *Luc. 7. v. 5.*
trewe Fürſorg für unſer liebes Vatterland/ an Land und Leu- *Neh. 13. v. 22.*
ten/ und ſonſten mildiglich/ wie auch an Leib und Seel/ hier und *Syr. 17. v. 17.* *Prov. 10. v. 6. 7.*

dort

dort ewiglich; vnd gedencke Seiner Fürſtl. Perſon / ô Gott/
nach deiner groſſen Barmhertzigkeit zum Beſten. Behalte die-
ſe S. Fn. Gn. Wolthat / wie einen Siegelring / vnd nehme
Sie vnder deine Gnaden-Flügel wie einen Aug-Apffel / vnd
laſſe auß deines Himmels Thron Ihr Häupt deinen Segen
ererben/ vnd im Segen Ihr Gedächtniß verbleiben / auch Ih-
res Namens Ruhm ſich in der gantzen Chriſtenheit gewaltig
darüber außbreiten.

Dieweil dan / ô getrewiſter / liebſter Vatter im Him-
mel / alle Anſchläge vnd Thun der Menſchen nicht gedeyen
*Sap.9.v.17.* mögen/es ſey dan/ daß du Weißheit gebeſt / vnd ſendeſt deinen
H. Geiſt auß der Höhe / vnd alſo richtig werde das Thun auff
Erden/vnd die Menſchen lernen/ was dir gefält / vnd durch die
Weißheit ſelig werden. So erſuchen wir dich demütiglich vnd
von Hertzen/vmb Jeſu Chriſti willen/daß du deine milde Güte
vnd reichen Segen / auß deinem hohen Thron zu dieſem heyl-
ſamen Univerſitäts-Weſen kräfftiglich geben/vnd herab ſchüt-
ten/ auch beſtändiglich erhalten wölleſt / vnd ruffen zu dir: O
*Pſ.118. v.25.* HERR hilff/ ô HErr laß wohl gelingen! Es ſegne vns Gott/
*Pſ.67.v.7.8.* vnſer GOtt / Es ſegne vns Gott / vnd alle Welt förchte jhn!
Wir bitten dich von Hertzen / du wolleſt in dieſer Univerſität
Gieſſen bey Lehrenden vnd Lernenden in allem jhrem Fürneh-
*1.Pet.4.v.10.* men allezeit deines heyligen Namens Ehr / vnſers lieben Vat-
*11.Rom 12.v.* terlands vnd aller Kirchen vnd Schulen darin / ja der gantzen
*6.ſeq.* werthen Chriſtenheit / vnd der lieben ſtudirenden Jugend ge-
deyliche vnd erſprießliche Wolfarth / den einigen Zweck ſeyn
*Pſal.90.circa* laſſen/ zeige deine Wercke deinen Knechten / vnd deine Ehre jh-
*fin.* ren Kindern / vnd der HErr vnſer GOtt ſey vns freundlich/
vnd fördere das Werck vnſer Händen bey vns / ja das Werck
vnſer Händen wölle er fördern; Gib jhnen ô HErr JEſu/rech-
te Weißheit vnd Verſtand/ auch die Gabe/alle Geiſtliche vnd
welt-



vnd weltweiſe Geſchickligkeit vnd Warheit / mit guter/ erbaw- *Dan.2.v.21.*
licher Dexterität/ trewlich vnd fleiſſig / fertig vnd tauglich für- *Sap.9.v.10.*
zutragen vnd zufaſſen / vnd behüte ſie für allen ſchädlichen vnd *Ex 31. v.3.*
gefährlichen Irrthumben. O du GOtt der Ordnung/erhalte *Eſa.50.v.4.*
darinnen gute/herrliche Zucht vnd Diſciplin / vnd ſteure dem *Pſal.45.v.2.*
leidigen Sathan/als dem Rumôr-Geiſt/daß er nicht das Vn- *Ioh.15.v.25.*
kraut der Vneinigkeit / der Rotten vnd Spaltungen / des *Matt.13.v.25.*
Mordens vnd Balgens/des Freſſens vnd Sauffens/des Stol-
tzes vnd Vnzucht/des Vngehorſams vnd Widerſetzligkeit/da-
hinein außſtrewe vnd einſähe; Behüte die Statt vnd Veſtung
Gieſſen für Krieg vnd Zerſtörung/für Fewers-Noth vnd allem
Schaden / auff daß die Univerſität vnd deine Ehr darinnen *Pſal.46.v.5.*
ruhig vnd vnzerſtöret wohne. Nun HErr/hebe an zuſegnen die- *Pſal.48.v.3.*
ſe Univerſität/dan was du ſegneſt/das muß geſegnet ſeyn ewig- *1.Chron.18.*
lich / vnd laſſe ſie jmmer vnd beſtändig ſeyn ein Hauß Gottes/ *v.27.*
darin du mit deinem Segen wohneſt: Ein Pfeiler vnd Grund- *1.Tim.3.v.15.*
feſte deiner Göttlichen Warheit: Eine Mutter der Kirchen
vnd Schulen vnd des gemeinen Weſens: Ein Saat vieler ge-
lährter Leut: Einen Sitz einer groſſen florirenden Menge der
Studirenden: Ein feſte Mauer wider alle Irrthumb/Ketzerey
vnd Spaltungen: Einen Glantz im H. Röm. Reich/ ja in der
gantzen Chriſtenheit: Eine Zierd vnſers lieben Vatterlands:
Ein Wohnung der freyen Künſten / guter Sitten vnd Tugen-
den: Ja lieber Vatter / **Eine Wohnung deines** *Exod.20.*
**H. Namens.** O Herr/erhöre diß vnſer Gebet in deinem *v.24.*
hohē Thron/vñ laß deine Vätterliche Erhörung hinfüro/reich-
lich vñ beſtändig auf dieſe Univerſität trieffē/auß lauter Gnad
vnd Barmhertzigkeit/zu deines H. Namens Lob vñ Ehren/vnd
deiner Chriſtenheit Seligkeit/ durch Chriſtum Jeſum/ vn-
ſern HErrn/Amen! ô HErr Jeſu/ Amen!

Vatter vnſer/ der du biſt im Himmel/ꝛc.

K SOLEN-

¶¶¶ *Huc pertinet Arbor ſive Tabula Genealogica.*

---

# SOLENNIA ACTUUM PROMOTIONUM DOCTORALIUM

*IN JURE ET MEDICINA,*

Die ſextâ Maji

# IN AUDITORIO JURECONSULTORUM ET PUBLICO SOLENNISSIME CELEBRATORUM.

QUIN-

¶¶ *Ad pag. 74.*

# GENEALOGIA,

## *QUA DEMONSTRATUR, QUAM PROPE VEL LONGE ILLUSTRISSIMUS ET CELSISSIMUS PRINCEPS, AC DOMINUS,*

# DN. GEORGIUS II. HASSIÆ LANDGRAVIUS, &c.

## ILLUSTRIS ACADEMIÆ GISSENSIS RESTAURATOR,

*Continuâ ſerie à quadringentis retrò annis cùm Illuſtriſſimis Illuſtrium Academiarum & Præcipuarum Scholarum Germanicarum* FUNDATORIBUS *conſangvinitate aut affinitate connexus ſit.*

Scripta & humilimæ obſervantiæ & gratulationis ergò oblata

*à*

JOHANNE JUSTO WYNKELMANNO.

### RUDOLPHUS I. HABSPURGENSIS, ROMAN: IMPERATOR.

GUTTA, uxor Wenceſlai Bohemiæ Regis.
Eliſabetha, ux: Johannis Com. Lützelb: Reg. Boh.
Carolus IV. Imper. Rom. Rex Bohem: Fundator Academiæ PRAGENSIS, an: 1361. (alii 1367. vel 1370.)

Albertus I. Victorioſus, Imperator Roman:
Albertus II. Sapiens, Archid: Auſtriæ.
Rudolphꝰ ingenioſus, Albertus III, Leopoldus III. Probus. Archiduces Auſtriæ, Fundatores Acad. VIENNENSIS, an. 1356.
Albertus IV. *Patiens.* — Erneſtus Ferreus. *Archid.* Auſtr.
Albertus V. Arch: Auſt. II. Imp. Rom. — c. Margaretha, ux: Friderici II. Placidi Elect. Sax.
Anna, ux: Wilhelmi Duc: Saxoniæ.
Margaretha, ux: Johannis Magni, Elect: Brandenb:
Joachimus I. Elect: Brandenb: Fundater Acad: FRANCOFURDIANÆ ad Oderam, anno 1506. 27. April. — Anna, ux: Friderici I. Regis Daniæ.
Hedwigis, uxor Julii Duc: Brunſvic: & Lün: Fundatoris Academ: HELMSTADIANÆ, anno 1576. 15. Octobr. — Johan-Georgius, Elector Brandenburgicus.
a Magdalena, ux: Ludovici Fidelis; Haſs: Landgravii.
Chriſtianus III. Rex Daniæ: Fundator Academiæ HAFNIENSIS, anno 1539.
Fridericus II. Rex Daniæ.
Chriſtianus IV. Rex Daniæ.
b. Fridericus III. Rex Daniæ, ejus ux: Sophia-Amalia, Georgii Brunſv: & Lün: Filia. — Chriſtianus IV. Elect: Rex Dan: — CONJUGES — Magdalena-Sibylla.

Anna, ux: Hermanni II. Longi, March: Brandenb.
Agnes, uxor Waldemari I. March: Brandeburg: Electoris.
Catharina, ux: Magni Torquati, Duc: Brunſv:
Helena, ux: Alberti II, Reg: Sueciæ & Ducis Megapol: — Catharina, ux: Erici III. Junioris, Duc: Saxoniæ inferioris.
Albertus Dux Megapolitan. — Catharina, ux: Johannis Duc: Megapolitan. Cum Senatu ibidem Fundatores Academiæ ROSTOCHIENSIS anno 1419. 12. Nov:
Henricus Pinguis, Dux Megapol.
Magnus III. Dux Megapolitan:
d Anna, ux: Wilhelmi Medii, Haſſiæ Landgr.

Mechtilda, ux: Ludovici II. Duc. Bavar: Palat: Rheni, Electoris.
Rudolphus I. Pal: Elector.
Adolphus Dux Bav: Elector. — Ruprecht I. Palat Elect. Acad. HEIDELBERGENSIS Fundator anno 1346.
Ruprecht II. Elector.
Ruprecht III. Imper: Roman.
Ludov: Barbatus III. Elector.
Ludov: Mitis. Dux Bav: Palat: Elect:
Mechtilda, uxor
1. Ludovici Wirtembergici. — 2. Alberti VI. Archid: Auſtriæ. Fundatoris Acad: FRIBURGENSIS Briſgojæ anno 1460.
Eberhardus Barbatus & Probus, primus Dux Wirtemb: Acad: TUBINGENSIS Fundator, anno 1477. 3. Jul: — Mechtilda, ux: Ludovici Animoſi, Haſſiæ Landgravii. c.

Ludovicus V. Dux Bavariæ, Roman: Imperator.
Mechtilda, ux: Friderici Gravis, Landgr: Thur: March: Miſniæ &c.
Fridericus Strenuus, March: Miſniæ.
Fridericus I. Bellicoſus, I. Dux Sax: Elect: Fundator Academiæ LIPSIENSIS, an: 1409. 12 Nov.
c. Fridericus II. Placidus, Dux Sax: Elect:
Anna, ux: Alberti Achillis Germ: Elect: Brandenb:
Fridericus V. March: Brandenburg:
Albertus V. Senior March. Brand: I. Boruſſ: Dux, Fund: Acad: REGIOMONTANÆ, anno 1544. 17. Aug:
Amelia, ux: Ludov: Divitis Bav: Duc, Fund: Acad. INGOLSTADIENSIS an: 1472.
Georgiꝰ Dives, Novum Collegium Academiæ erexit.
Albertꝰ III. Animoſ: Elect: Sax: Dux.
Henricus Pius, Dux Saxoniæ. — Georgius Barbatus, Dux Sax:
Auguſtus Pius, Dux Saxon. — Chriſtina.
Chriſtianus I. Dux Sax. Elect:
Chriſtianus II. Elector. — Johann-Georgius, Dux Sax: Elector.
Sophia Eleonora — CONJUGES — Georgius II. Haſſiæ Landgr: Academiæ GISSENSIS *Reſtaurator* Anno 1650, 5. Maji.
Erneſtus, Elect: Dux Sax:
Fridericus III. Sapiens, Dux Sax: Elect: Fund: Acad: WITTENBERGENSIS anno 1502. 18. Octob. — Albertꝰ Archid. Epiſc: Mogunt. Academiæ MOGUNTINENSIS Reſtaurator.
Chriſtina — CONJUGES — Philippus Magnanimus, Haſſiæ Landgr: Academiæ MARPURGENSIS Fundator an: 1526. 1. Julii, anno ſequenti confirmata: Privilegia tamen longè poſt demum anno 1541. à Carolo V. adepta.
Georgius I. Haſſiæ Landgravius. — Agnes, ux: Johan-Friderici Duc: Sax: qui cum Fratribus Academiã JENENSEM an: 1548. 25. Jan: fundavit. — Wilhelmus Sapiens Haſſiæ Landgravius.
a. Ludovicus Fidelis, Haſs Landgravius, Academiæ GISSENSIS *Fundator* Anno 1607 7. Oct. & Acad. MARPURGENSIS *Reſtaurator* Anno 1625. 24. Maji. — Mauritius Haſſ. Landgrav: Fundator Illuſtris Collegii CASSELL. anno 1599. 3. Octob. — Hedwigis, ux: Erneſti Com: & I. Princip: Schaumb: Fundatoris Acad: RINTELENSIS A. C. 1620.
Anna-Eleonora, ux: Georgii Ducis Brunſv: & Lüneb:
b. Sophia-Amalia.

Ludovicus Romanus, March: Brandenburg: Elector.
Ingelburgia, uxor *Friderici IV.* Burggr: Nornb: I. March: Brand:
Margretha, ux: Hermanni Haſſiæ Landgravii. — Veronica, ux: Barnimi VI. Duc: Pomeraniæ.
Anna — CONJUGES — Ludovicus II. Pacificus, Haſſiæ Landgravius. — Uratislaus IX. Dux Pom: Fund: Acad: GRYPSWALDENSIS Anno 1456. introducta anno 1457. 18. Octobr.
e. Ludovicus III. Animoſus, Haſs. Landg. — Ericus II. Dux Pomer:
d. Wilhelmus Medius, Haſſiæ Landgraviꝰ. — Sophia, ux: Magni, Ducis Megapol.
Wilhelmus Medius — Anna.

QUINTUM Maji recenſitæ ſolennitates abſolverant, & ſceptris ſuis jam potita Academia GISSENA diſpiciebat, quo pacto Privilegia, tantis largitoribus ſibi conceſſa, actu aliquo ſolenni quàm primùm exerceret, atq; primis velut incunabulis ederet fructum, unde non minorem ſplendorem ſibi compararet ac famam, quàm annis antè quadraginta eadem tot literatorum partu indelebilem obtinuerat. Hoc ſiquidem Academiarum cùm ſit encomium potiſſimum, edere viros purioris doctrinæ radiis coruſcos, ſanctioris Juris & Juſtitiæ dogmatibus imbutos, Medicinæ in abdytis & abſtuſis Naturę fontibus enutritos, omnisq; ſanioris Philoſophiæ & morum, atq; directionum humanorum actuum ſcientiâ & prudentiâ cõſpicuos, quibus utpote tanquam Sol radiis ſuis univerſo innoteſcunt orbi, atq; velut, quod *Strabo* de arbore quâdã recenſet, umbram latè patentem de ſe, non in meridiem ſaltem, ſed & quâ ortus & occaſus patet, projiciunt; non potuit Academia GISSENA quoq; feriari, quo minùs laudum ſuarum primum experiretur jactum, hortatu inprimis Reſtauratoris ſui clementiſſimi, cui munificentiſſimo utpote Academiæ Haſſiacæ Nutritio viſum fuerat, ut altera poſt introductionem die actus aliqui ſolennes promotionum Doctoralium celebrarentur. Nec mora: cùm tres Juris Licentiati, Dn. JACOBUS LEBLEU, Profeſſor Juris extraordinarius & Politices ordinarius, Dn. MARTINUS MÜLLERUS, Juris Profeſſ. extraordinarius & Ethices ordinarius, & Dn. HENRICUS BÜNNING, Principatus Mindenſis Fiſcalis & Advocatus Fiſci in Comitatu Ravensbergenſi. In Medicinâ vero JOHANNES TACKIUS, Medicinæ Licentiatus, Sereniſſimi & Celſiſſimi Principis & Domini

Dn. Ludovici, Haſſiæ Landgravii Medicus & Profeſſor Medicinę & Phyſices ordinarius nomina ſua ad ſolennitatem illam profeſſi fuiſſent, ſextus Maji honoribus eorum quæſitis deſtinatus eſt. Neq; miretur quiſpiam tantam poſt multos luctus Haſſię felicitatem. Namq; ut in Inſulâ Sancti portus, quæ ad occidentem videt, arbor reperitur, quæ ſtato anni tempore ferro ſauciatur, anno ſubſequēte verò per inciſiones gemmam, inſtar alicujus gummi, emittit, quod ahenis decoctum & defæcatum ſanguis efficitur, quem Draconis appellant Medici, optimum multis in ægritudinibus auxilium: ita Academia Haſſiaca jam aliquot annos ſauciata, ex vulnere velut parturiens facta quatuor primo niſu Doctores excluſit, ut patientiam excipiens virtus victrix tantò magis ſalutaris & conſpicua redderetur. Ut verò ea ſolennitas more in Academiis conſueto perageretur, publico programmate quinto quoq; Maji, ad ejuſmodi inſtans feſtum Doctoratûs omnes Literati Literarúmque Patroni vocari cæperant, id quod Vir admodùm Reverendus & Excellentiſſimus, Dn. Justus Fewrbornius, SS.Th. D. & Profeſſor Senior, &c. Rector Academiæ Giſſenæ Reſtauratæ Magnificus primus, ſequentibus verbis valvis templi affixum omnibus ſingulíſque legendum exhibuerat.

D.T.



D. T. O. M. A.

# JUSTUS FEWRBORNIUS,

S. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROFESSOR SENIOR, NEC NON ECCLESIASTES ET SUPERINTENDENS, p.t. ACADEMIÆ RECTOR, & Totus Senatus Academicus,

*Omnibus, has literas Lecturis S. P. P.*

---

Quod felix fauſtumq;, ac Eccleſiæ, Patriæ, totiq; Reipublicæ Chriſtianæ atq; Literariæ ſalutare eſſe velit Ter Optimus Maximus Jehova,

*VIR NOBILISSIMUS, MAGNIFICUS & Celeberrimus JCtus,*

## DN. JUSTUS SINOLD,

COGNOMENTO Schütz/

Sereniſſimi atq; Celſiſſimi Principis ac Domini, Domini Georgii, Haſſiæ Landgravii, Comitis in Cattimeliboco, Deciâ, Ziegenhaina, Niddâ, Iſenburgo, Budingâ, &c, Conſiliarius intimus, Regiminis atq; Academiæ Gissensis Cancellarius & Profeſſor Primarius,

*PROMOTOR ritè deſignatus,*

Authoritate, Poteſtate, & Facultate Imperatoriâ & Principali,

à

*SERENISSIMO ET ILLUSTRISSIMO*
*Principe & Domino,*

**DOMINO LUDOVICO,**
**Haſſiæ Landgravio, Comite in Cattimeliboco, Decia, Ziegenhaina, Nidda, Iſenburgo & Budinga, Domino noſtro Clementiſſimo, ſolenniter conceſsâ:**

Et ex Celeberrimæ Facultatis Juridicæ Decreto, unanimi omnium Dominorum PROFESSORUM reliquarum Facultatum ſuffragio pleniſſimè comprobato,

*Viris Clariſſimis, eximiáq; virtute & ſingulari eruditione condecoratiſſimis, exquiſitæ cumprimis in Jure Civili & Canonico Doctrinæ in diverſis Germaniæ, &, reſpectivè, Italiæ, Galliæ, Hollandiæ, &c, Academiis, ſummâ induſtriâ, per divinam benedictionem laudabiliter acquiſitæ, publicéq; ac privatim ſatis exploratæ, laude commendatiſſimis,*

DN. JACOBO LEBLEU, Oppenheimiâ Palatino, J. U. L. hactenus in Academiâ Marpurgenſi, jam autem in Reſtauratâ Academiâ GISSENSI, Linguarum Exoticarum, Italicæ & Gallicæ, Profeſſori Ordinario, & Academiæ Syndico, ut & jam Politices ordinario, & Juris extraordinario Profeſſori.

DN. MARTINO Müller / Langenſchwarzâ-Buchonio, J. U. L. Ethices Profeſſori ordinario, & Juris extraordinario,

DN. HEN-



DN. HENRICO BüNNINGIO, Bilfeldiâ-Weſtphalo, Itidem J. U. L. Principatûs Mindenſis Fiſcali, & Advocato Fiſci, in Comitatu Ravensbergenſi,

*Ex mutuo ipſorum conſenſu ſic collocatis,*

**Doctoratûs in utroq; Jure Gradum, Honores, Titulos, Inſignia & Privilegia,**

*Debita Ipſorum Virtuti ac Eruditioni Præmia & Ornamenta Publica,*

Conſueto ritu ACADEMICO,

*Craſtino die Lunæ, qui erit ſextus Menſis Maji, horâ octavâ & ſequentibus ANTEMERIDIANIS,*

In Auditorio Juridico publicè collaturus eſt.

*Quo actu ad finem perducto, Authoritate itidem Cæſareâ & Principali, à Celſiſſimo, jam antedicto, Haſſiæ Principe, Dn. LUDOVICO, demiſſè impetratâ,*

Ex Laudatiſſimæ Facultatis Medicæ Decreto, concordi omnium cæterorum Dnn. Profeſſorum conſenſu exactè ſtabilito,

*VIR CLARISSIMUS ET Experientiſſimus,*

**Dn. JOHANNES DANIEL HORSTIUS, MEDICINÆ DOCTOR ET PROFESSOR PRIMARIUS, ET ARCHIATER HASSO-Darmſtadinus, horum Doctoralium Honorum Diribitor, ritè conſtitutus**

DN. JOHANNI TACKIO, Wetzflarienſi, Medicinæ Licentiato, atque

SERE-

SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS & Domini, Domini LUDOVICI, Haſſiæ Landgravii &c, Medico, Medicinæ & Phyſices Profeſſori Ordinario,

Craſtinâ pariter luce, horis antemeridianis, in Brabeuterio Juridico,

RITIBUS ACADEMICIS USITATIS,

Doctoratûs in Medicina Gradum, Titulos, Honores, Inſignia & Immunitates

Publicè conferet.

AD QUÆ SACRA ACADEMICA,

Omnes omnium ordinum Literatos & Literatorum Fautores.

DOCTORES, PROFESSORES, LICENTIATOS, MAGISTROS, STUDIOSOS &c.

Ceu Teſtes, Spectatores, Auſcultatores & Applauſores, decenter invitamus.

---

P. P. Sub Sigillo ACADEMIÆ Majori, Die V. Maji, Anno Chriſti, unici Meditatoris noſtri, CIƆ IƆ C L.

Tali



TALI inquam Programmate inſtans feſtum Doctoratus publicè denunciabatur. At verò, qui Sereniſſimi Celſiſſimiq; Principis nomine aderant, itemq; Senatus Academicus, hi præferētib. publicis miniſtris duo ſceptra Academiæ, à Doctorandorum quatuor Paranymphis, verba faciente *M. Marco Orthio*, SS. Theol. Candidato, Stipendiatorum Majore, & Præceptore Claſſico, ſolenniter, ſinguli ædibus in propriis, invitabantur.

Jamq; hora duobus iſtis Actibus, alteri quidem in Jure, alteri in Medicina deſtinata, comparuerat. Cùm in ædibus Viri Nobiliſſ. & Magnifici Dn. *Juſti Sinold* cognomento Schütz/ Academiæ & Regiminis Giſſenſis Cancellarii meritiſſimi, atq; in Facultate Juridica promotoris ritè deſignati, convenêre omnes & ſinguli, atque buccinarum clangore præeunte, viam ad *Ludovicianum* Collegium auguſtiſſimum exorſi ſunt, in quo, Jurecōſultorum Auditorium ampliſſimum, Sereniſſimorum Principum ac Dominorum, Dn. *Ludovici Iunioris*, p. m. Academię Giſſenę Fundatoris & *Dn. Georgii*, Reſtauratoris, aliorumque Haſſiæ Principum iconibus, atque Profeſſorum omnium, qui in eâdem, & Marpurgenſi Academia docuerant, imaginibus exornatum, præſenti negotio dicatum erat.

Intrabant primùm Sereniſſimi, Celſiſſimique Principes ac Domini, *Dn. Ludovicus* & *Dn. Georgius*, Haſſiæ Landgravii, fratres Germani; ſequebatur hos Academiæ *Rector* Magnificus, *Dn. Iuſtus Fevvrbornius*, & hunc Illuſtris & Generoſiſſimus *Dn. Georgius Erneſtus*, Comes ab Erpach/ *& Dominus in* Breuberg: Deinde *Otto Hartmannus* à Schlitz, *dictus* Görtz/ Haſſiæ Proprinceps, & Conſiliarius Principis intimus; & poſt hunc *Dn. Philippus Ludovicus Fabritius*, ejuſdem Principis Cancellarius & Conſiliarius intimus: Dn. *Iuſtus*

L Sinold

*Sinold* cognomento Schütz/ Regiminis Giſſenſis & Academiæ Cancellarius, Conſiliarius intimus, Facultate in Iuridica deſignatus Promotor: Nobiliſſimus & Venerabilis Dn. *Adolphus Eutel. à Nordeck & Rabenavv, Haſſiacæ Ballivia, Ordinisq; Teutonici Eques & Commẽdator in* Schiffenberg: Nobiliſſimi quoque & perſtrenui Viri, Dn. *Vlricus à* Buseck/ Dicaſterii Giſſenſis Præfectus & Cõſiliarius Haſſo Darmbſtatinus: Dn. *Henricus Hermannus ab Oynhauſen*, Conſiliarius Haſſiacus, atq; à directionibus Sereniſſimi Principis ac Dn. Dn. *Ludovici Haſſiæ Landgravii*, præfectus Comitatus Niddani; & poſt hunc quàmplures alii Viri & Juvenes de Haſſiaca Nobilitate, cum Conſiliariis Principis atq; Profeſſorib. reliquis & Doctorãdis, Paſtores deniq; & Senatores, & quicunque alii ad actum eum invitati hoſpites. Quid plura? Cùm Principes Sereniſſimi ſummo à dextris Cathedræ loco, & cæteri ſuo ordine conſediſſent, præmiſſâ, inter ſuaviſſimas cantantium voces, Muſicâ, concenſaque à viro nominatiſſimo Dn. *Iuſto Sinold* dicto Schützen/ Promotore, cathedrâ ſuperiori: & à tribus J.U. Candidatis, inferiori, ille inſigni dicendi excellentia orationem exorſus eſt de Candidatis & eorum requiſitis, quid ſcilicet & quales illi ſint, & eſſe debeant? quâ ipsâ invectus quoque in eos, qui dicunt

*Ore aliud, tacitoq; aliud ſub pectore condunt,*

mortalium determinos mores increpavit, & quorum hodie animi ad ſimulationem potiùs, quàm ad ſinceritatẽ & fidem, quod dici ſolet, germanam, eſſent compoſiti. Quam ſanè Orationem hîc lubens, integram inſererem, ſi ea primùm in chartam conjecta & non ex tempore effuſa fuiſſet, atque adeò non prius lucem quàm calamum agnoviſſet. Cæterùm finita ea, non ſine auditorii tam auguſti delectatione, materiæ neceſſitate & jucunditate dicenti attentionem con-





ciliante, ad cætera digreſſus eſt, quæ ad trium Doctorandorum perſonas ſpectabãt, & primò quidem Natales cujuſq; recenſere cæpit, ſtudia item laboreſque, & univerſum vitæ curriculum, ut ſingulis apertè conſtaret, quanta ſubiiſſent pericula, quantos tuliſſent labores, quãta denique pro virtutis mercede aucupandâ perpeſſi fuiſſent. Cumq; hæc ipſa ad ipſorum laudes maximè ſpectent, neq; virtus in obſcuro deliteſcere amet, cujuſq; perſonæ natales, labores & ſtudia hoc loco inſerere voluimus. Ita verò Promotor:

## *Natales & Vitæ curſus* Jacobi LeBleu, J.U. Licentiati.

PRimus ex ordine Doctorandorum eſt *Jacobus LeBleu*, J.U.L. natus Oppenheimii in Palatinatu inferiori, Anno 1610. die Martii 15. Pater ipſi fuit *Iohannes LeBleu*, Mercator integerrimus, Mater *Chriſtina Kufflera*, matrona honeſtis progenita parentbus & caſtiſſima. Ab ineunte ætate, patre præmatura, prout hominibus videtur, morte præcepto, à Matre ſuperſtite literarum ſtudiò dicatus & ex hac occaſione, ferente id ætate, præceptoribus privatis informandus cõmiſſus eſt. Poſt tempus aliquod, ubi Mater *Oppenheimio Haidelbergam* ſe cum familia tranſtulit, ibi acquiſitis aliis informatoribus, claſſes publicas, continuandi ſtudii ergò frequentavit, urbe verò per exercitum Bavaricum hoſtiliter expugnatâ, Matre *Argentinæ* commorante, *Colmariam* miſſus ac inſpectioni Dn. *Matthiæ Kühnen*, loci illius in Eccleſiaſticis Superintendentis, commendatus fuit, morbo deinde correptus, *Argentinam* rediit & hinc *Hanoviam* profectus eſt, illinc, comparatâ Linguæ Gallicæ cognitione, *Sedanum* in *Galliam* iter direxit, ubi per ſeptẽnium commoratus

tùs, ordine præſcripto claſſes omnes ritè pertranſiit, & tandem abſoluto ſub Dn. *Colvino Scoto* curſu Philoſophico, Marpurgũ acceſſit, ubi, repetitis privatim Logicis & Ethicis diſciplinis, Collegia Politica ſub Præſidio Dn. Doctoris *Kuhnen* & *M. Happelii* habuit, poſteà ſub privata inſtitutione Dn. *Chriſtiani Friderici Sileſienſis*, tunc temporis Juris Candidati, inſtitutionum fundamenta poſuit. Poſthæc *Lugdunum Batavorum* ſe contulit, ibiq; audito in publicis Lectionibus Dn. *Petro Cunæo, Vinnio*, aliisque Profeſſoribus, privatim converſationes Academicas habuit cum Juvenibus eruditis & morum probitate conſpicuis. Poſteà luſtratis *Belgii* provinciis, viſoq; *Angliæ* imperio, per mare *Britannicum* in *Galliam* transfretavit: Tandem ſuperatis Alpibus, mariq; mediterraneo, in *Italiam* venit, & conſpecto *Siciliæ, Neapolisq;* regno, ac viſitatis *Romanorum, Florentinorum, Genuenſium*, aliisq; Rebuſpub. & Academiis, *Patavii* tandem, quod *Venetorum* celebratiſſimam continet Univerſitatem, ſedem fixit, ibiq; in Jure Dn. *Vecchium*, Codicis, & Dn. *Caimonium*, Inſtitutionum tunc temporis Profeſſorem, illum publicè, hunc publicè & privatim audivit. Cæterùm ibidem apud Nationem *Germanicam* officio Procuratoris, apud Provincialem Conſulis munere perfunctus eſt. Sumpto deinceps per Vallem Tellinam in patriam regreſſu, per aliquod menſes Baſileæ ſubſtitit, ubi Dn. *Feſchium*, alios in aliis facultatibus perorantes audivit. Hinc denuò Marpurgum, indè in Ducatum *Brunſuicenſem* ivit, ubi informationi Ducum juniorum invigilavit, & defuncto Sereniſſimo Duce *Georgio* glorioſæ memoriæ, à Sereniſſimo Duce Dn. *Chriſtiano Ludovico* in Secretarium Legationum aſſumptus fuit. Deinceps abſolvendorum ſtudiorum cauſa, Marpurgum reverſus eſt, ubi ordinarius linguarum exoticarum Profeſ-





ſor & Academiæ Syndicus factus eſt, & denique præhabitâ diſputatione de adulteriis publica, præſtitisq; præſtandis omnibus, Licentiam Juris Utriusq; honores Doctoreos accipiendi ſolemniter impetravit. Alia quoque ſubinde negotia à Sereniſſimo Principe ac Domino, Dn. *Georgio* Haſſiæ Landgravio, &c. ipſi pro patriæ ſalute expediendâ impoſita, tali fidelitate exantlavit, uti miniſtrum fidelem & civem bonum condecuit. Variam itaq; , utplurimùm tamen proſperam expertus eſt fortunam, quam à Deo piis precibus petiit, nunquam indecenter laceſſere voluit.

## *Natales & Vita* Dn. Martini Mülleri, *J.U. Licentiat. &c.*

SEcundus ex ordine Doctorandus eſt Dn. *Martinus Mullerus*, J.V. Lic. Natus is eſt Anno 1616. Patre, viro reverendo Dn. Balthaſare Müllero, Hombergenſi Haſſo, primùm Langenſvvartzenſium, poſteà Slitzenſium Paſtore meritiſſimo; Matre, Margrethâ, Viri graviſſimi atque ſpectatiſſimi, Dn. *Iohannis Cleeben*, Conſulis Hirsfeldenſis filiâ, matronâ lectiſſimâ, quorũ curâ à primis ſtatim annis, apto ad ſtudia literarum in ipſo ingenio deprehenſo, animum ad literas applicare cæpit, informatione & præceptore uſus domeſtico. Ut verò ad altiora maturior ætas ſtimulum addidit, inter paterna tecta diutius morari noluit, ſed *Gotham* Thuringorum profectus, anno 1626. quinque in celeberrimo ibidem Gymnaſio annos inſumſit, quibus linguarum diſciplinarũq; principia tantâ hauſit felicitate, ut nõ judicii & acuminis ingenii ergò ſolùm, ſed & morum vitæq; probitatis ſolida à Præceptorib. ſuis cum laude reportârit teſtimonia. Non ſufficere poterant in Gymnaſiis parta laudis

encomia, diſcendi ardor Dn. Candidatum noſtrum porrò accendebat, ratusque in Academiis perfectam demum acquiri poſſe eruditionem, Lipſiam abiit, ubi prævio in Academiis conſueto Depoſitionis ritu ſub viro Magnifico Dn. *M. Andrea Corvino*, tum temporis Academiæ Rectore, in Studioſorum album cooptatus fuit, idq; Anno 1631. Diutius tum perſiſtere in eo loco vix permittebat patriæ parentisq; calamitas, quam reformatio Religionis ab Abbate Fuldenſi, atque inde tum aliorum paſtorum, tum quoq; dilectiſſimi parentis miſſio in exilium, cæteraque belli incommoda pepererant, unde Academiis vicinis viſis, Wittenbergâ. ſcil. & Jhenâ, domum reverſus eſt, ut ipſe quidem tum exiſtimabat, ſtudiis ultimum vale dicturus.

At verò Deo aliter diſponente Anno 1632. parente priſtinum è calamitate recipiente animum, hortatu etiam aliorum cooperante ad Marpurgenſem miſſus eſt Academiam, in qua ſtudiorum ſuorum curſum à Philoſophia exordiri cæpit, tanquam ſolidum prius alii ſuperiori facultati poſiturus fundamentum, non ignorans ad ſolidam omnibusque numeris perfectam eruditionem pervenire neminem poſſe, niſi qui Philoſophicis artibus animum priùs informaret. Et ſanè in his ipſis ingenii vires ſatis monſtrans, (neque enim ullam Philoſophiæ partem intactam relinquebat, quam non legendo, perorando, varieq; diſputando peragraret,) hoc conſecutus fuit, ut prævia virorum Clariſſimorum commendatione, à Sereniſſimo, Celſiſſimoque Principe ac Domino, Dn. *Georgio, Haſſiæ Landgravio*, illuſtre acceperit ſtipendium, unde ad Juris ſtudium accedere juſſus ea omnia conatu laudatiſſimo aſſequi adnixus eſt, quæ in ejuſmodi Stipendiatorum legulis & regibus præſcribi conſueverunt. Ediſſerendum hoc loco eſſet, quâ diligentiâ



tia Jura tractaverit, qua fide eadē etiam aliis tradiderit, hoc dico, ob à Marte impendentē Academiæ calamitatem, ſtudia ejus quodammodo turbari cæpiſſe, & ad annos, id quidem duos, quorum in decurſu Nobilibus à *Schachten* operam ſuam, Præfectura politica functus, præſtitit, à qua tamen, duobus exactis annis, per Sereniſſimum noſtrum revocatus Marpurgum rediit, ubi informationi Filiorum meorum ſummâ, quâ potuit digentiâ & fide præfuit, Collegium Treutlerianum meo ſub Præſidio habuit, Juribusq; jam ſatis inſtructus ipſe quoque docere, & Collegia varia aperire atq; aliquot in eo docēdi genere annos perſeverare cæpit, unde publicum etiam editurus ſuæ eruditionis teſtimonium Anno 1644. Diſputationem pro conſequendis honoribus in U. J. Doctoralibus habuit, animo propediem adeundi Spiram, ibidemque Praxin cum Theoria conjungendi. At Gallis illa occupantibus loca, Marpurgi commorari atque privatim Jura docendo tempus porrò inſumere voluit. Paulò pòſt Haſſis inferioribus Marpurgum obſidentibus, Viroq; admodùm reverendo Dn. *Balthaſare Mentzero*, SS. Theolog. D. Ethices & Politices Profeſſore ordinario Rintelium evocato, Profeſſionem Ethicam & Politicam à Sereniſſimo noſtro Principe humilimè impetravit. Sed cùm res admodùm eſſent dubiæ & incertæ Marpurgi, & Mars & Muſæ male cohabitent, fortunam cum modeſtia expectare, quàm inverecundè poſtulare & provocare maluit, & Coloniam petiit, uſque dum diſſenſiones in Haſſia iterum fuêre compoſitæ, ubi id obtinuit, ut jam in nova hâc & cum Deo reſtauratâ Academiâ Giſſenâ Profeſſor, Ethices ordinarius, & Juris extraordinarius conſtitutus, & ſolenniter inauguratus ſit.

Natale

## NATALES ET VITA DN. HENRICI BUNNING. J. U. LICENT. &c.

TErtius Doctorandus eſt *Henricus Bunning*, Bilfeldenſis Weſtphalus, ordinatus Advocatus Fiſci in Comitatu Ravenſperg & Petershagen, qui Anno Chriſti 1620. 25. Decembr. in hujus luminis auras progreſſus eſt à parentibus non minùs piis, quàm honeſtis, patre nempe *Iohanne Bunning*, Cive inter *Bilſeldenſes* primario & adminiſtratore in *Sparenberg* fideliſſimo, matre verò *Anna Nevels*, matrona egregia. Hic, cùm infantiæ ſuæ primos tranſegiſſet annos à parentibus Rectoribus Scholæ patriæ, qui eum in literarum elemẽtis, morib. & pietate erudirent, demãdatus fuit, ſub quorum regimine tantos fecit profectus, ut paulò pòſt in Scholam *Oſnabrugenſem*, & biennio in ea peracto *Stadam* in Epiſcopatu *Bremenſi* Gymnaſium ibi frequẽtaturus mitteretur, ubi etiam per biennium commoratus in humanioribus, & ſtudio philoſophico ita ſe exercuit, ut ipſi à Rectore illius Gymnaſii vi publici atteſtari aditus ad lectiones publicas & altiora concederetur, Stadam ergò reliquit, & domum de proſecutione & continuatione ſtudiorum ſuorũ, quorũ amore flagrabat & accedẽdâ quâdã Germaniæ Academiâ cum parente deliberaturus ſe contulit, cumq; tum temporis *Marpurgenſis* præ reliquis floreret, & amici ejus, quibus ſtatus & conditio ejus loci probè nota erat, ut eam eligeret, ſuaderent, relictis laribus anno 1639. Marpurgum petiit & ſtudio Juris inibi primò operam ſuam ſedulò conſecravit. Ut verò fundamenta Juris & ſolidam eruditionẽ in hoc eò facilius ſibi compararet, nec ſine fructu tempus in eo conſumeret, lectiones & collegia Juridica tam publica quàm privata diligenter viſitavit, ac ſtatutis & legibus





noſtris Academicis ſe in omnibus morigerum per triennium exhibuit, poſtea Coloniam Ubiorum aggreſſus eſt, ibique per annum detentus, juſſu parentum retrò Marpurgum, pedem movit & anno 1644. nono Novembr. diſputationem juridicam, Concluſiones aliquot miſcellaneas continentem ſub præſidio meo publicè ibi habuit, in qua talem eruditionem exhibuit, ut nemini, cui hæc innoteſcebat, dubium foret, quin ipſi petenti honores Doctorales tandem dignè conferrentur; uti etiam anno ſubſequente 1645. ille diſputationẽ inauguralem de Diffamationibus conſcripſit, eamq; pro ſummis in utroque jure honoribus & privilegiis Doctoralibus obtinendis publico & ſolenni Dnn. Profeſſorum Marpurgenſium examini, conceſsâ tamen ad id ipſi prius facultate ab ampliſſimo JCtorum ordine, 10. Julii ſubjecit, in quo talem, ceu par erat & Candidatum juris decet ſe præſtitit, ut ei nõ immeritò à Facultate noſtra juridica licentia doctorandi, quocunque tempore vellet, conceſſa fuerit. His ita peractis Marpurgo relicto ad parentes in patriam abiit, ſed cùm Monaſterii Weſtphalorum de tumultibus in Germania bellicis ſedandis & pace pangenda inter Imperium & exteras nationes adhuc ageretur, in patria diutius commorari noluit, ſed ut ſibi in publicis majorem accerſeret notitiam, illud quoq; adiit & nihil non tentare intermiſit, ex quo in eum major ſpes bonæ frugis tandem aliquãdo redundare poſſet. Poſtmodùm cùm tractatibus iſtis publicis finis imponeretur ab ELECTORE *Brandenburgico* hic noſter Candidatus ob benemerita Advocatus Fiſci in Comitatu *Ravenſpergenſi & Petershagen* eſt conſtitutus & ordinatus, quo munere præcellente & gravi adhuc, quouſque placet, fungitur.

RÉcenſitis ita cujuſq; Natalibus & ſtudiis, neceſſe deinde erat, ut quilibet partæ virtutis & eruditionis ſpecimen publicè ederet. Quem in finem tres ingenui adoleſcentes ex adverſo ſtabant, quorum quilibet quæſtionem aliquam ſuo Candidato, cui librum præferebat, reſolvendam proponebat. Primus eorum erat JUSTUS HABERKORNIUS, Viri admodùm Reverendi & Clariſſimi DN. PETRI HABERKORNII, SS. Theol. D. Superintendentis Giſſenſis & Profeſſoris filius, bonæ ſpei adoleſcens, qui quæſtionem de neceſſariâ defenſione inſtitutam ſequentibus verbis DN. JACOBO LEBLEU, primo doctorando proponebat.

## PROPOSITIO PUERI.

*Clariſſime & Doctiſſime Domine Doctorande, quod antiquitus introducta conſuetudo, rituſq; in hac inclyta reſtauratâ Academiâ recepti, me ſat edocent, id impræſentiarum, ne mandato deſim officio, exequi conabor. Et cùm perceperim, diſcrepantes eſſe Doctorum ſententias circa explicationem probationis neceſſariæ defenſionis, tuæ claritati hanc ambiguam juris materiam penitiùs explicandam reſolvendamq; propono.*

## *RESPONSIO PRIMI DN. DOCTORANDI ad Quæſtionem.*

Quæ explicanda in medium protuliſti, ingenue & maximæ ſpei adoleſcens, illa remotis argutiis, & longæ orationis moleſtiâ, paucis expediam.

Definitur neceſſaria defenſio, quòd ſit inſtantis vel jam illatæ violentiæ vel injuriæ legitima propulſatio. Quod enim quis ob tutelam ſui corporis fecit, jure feciſſe exiſtimatur, per *l. 3. ff. de juſt. & jur. & l. 2. C. ad L. Corn. de Sicar.* Si quis percuſſorem ad ſe venientem gladio repulerit, non tenetur



tenetur homicidii. Non tantùm jure Gentium & Civili, verùm etiam Naturali ſubnixam eſſe hanc defenſionem, conſtat ex loco illo Ciceronis, ubi dicit: Hanc non ſcriptam, ſed natam legem eſſe, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex naturâ ipsâ hauſimus, expreſſimus: Ad quam non docti, ſed facti: Non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis: Unde & Poëta:

*Sentit enim vim quidq; ſuam, quâ poſſit abuti.*
*Cornua nata prius vitulo, quàm frontibus extant,*
*Illis iratus petit atq; infenſus inurget.*

Ratione differentiæ additur vox legitima, ne quocunque modo, & belluarum potiùs quàm hominum more, ſed obſervato demum moderamine inculpatæ tutelæ, procedat: Apprimè enim neceſſarium eſt, ne aliquis in defendendo præſcriptum à legibus modum excedat. *Georg. Obrecht. in tract. de defenſione neceſſariâ. cap. 10. nu. 1.* ubi defenſio alia dicitur perſonalis, alia realis, diverſis cuilibet adjectis qualitatibus, de quibus hoc loco nihil, ſed duntaxat de ipſius probatione ſermo erit.

Defenſio itaq; neceſſaria, cùm in facto conſiſtat, non ſufficiet facta ipſius in judicio allegatio, ſed allegatæ ſimul deſiderabitur probatio, *l. aſſeveratio. C. de non num. pecun. l. ſive poſſidetis, C. de probat. cap. cum in jure. extr. de offic. de leg.*

Probatur neceſſaria defenſio primò per teſtes, vel omni exceptione majores, vel alios etiam, veluti domeſticos, conjunctos, ſuſpectos, dubios, ſingulares, & de credulitate tantùm deponentes. Secundò per conjecturas & præſumptiones, *Joſeph. Maſcard. de probat. vol. 1. concluſ. 490.* Imò etiam per unicum teſtem, & deficientibus hiſce probationibus.

nibus, juramento purgationis, *Berlich. part. 4. concluſ. 14. nu. 15.*

Obſtare videtur *l. ult. C. de probat.* ubi præſertim in cauſis criminalibus, requiruntur probationes luce meridianâ clariores. Verùm reſpondetur, adductam legem ſibi locum vindicare, ubi agitur contra ſanguinem ad condemnationem: Secus, ubi agitur pro ſanguine ad liberationem, tunc enim pro ejus innocentiâ probandâ ſufficiunt probationes imperfectæ, *Andr. Gail. de pac. publ. lib. 1. cap. 15. Mynſ. cent. 5. obſ. 13.*

Quibus hoc adſtipulatur, quod præſumptio ſit contra occidentem, quòd nempe adverſarium doloſè occiderit: meritò igitur ejuſmodi probationes imperfectæ admittuntur, quoniam contra dolum præſumptum, contraria probatio præſumptiva recipitur, *Iaſon. in l. 3. ff. de Iuſt. & Iur.* Huc accedit, quòd probatio neceſſariæ defenſionis maximè ſit favorabilis & privilegiata, ita ut magis credatur teſtibus pro reo deponentibus quàm pro actore, pro non delicto, quàm pro delicto, *Cravet. conſ. 6. num. 63. Alex. conſil. 169. num. 11. vol. 5. Hippol. de Marſil. conſ. 65. nu. 43. allegati à Weſenb. conſ. 19. num. 13. part. 1.*

In caſu dubio, partes judicis in abſolvendo potiùs, quàm in condemnando eſſe debent, *l. favorabiliores, ff. de reg. jur.* maximè in criminalibus, de quibus hîc agitur, *l. abſentem. ff. de pœn.* ubi ſemper conjectura capienda, quæ hominem pœnæ eximat, *l. merito. ff. pro ſoc. Boer. deciſ. 164.*

Obſervandum tamen eſt, eo caſu, quando nimirum defenſio neceſſaria, non niſi præſumptionibus, conjecturis, vel unico teſte probatur, reum tantummodò à pœnâ ordinariâ exemptum eſſe, & mitiori, veluti fuſtigatione, relegatione, mulctâ pecuniariâ, vel aliâ pro ratione circumſtantiarum puniendum eſſe, uti eleganter ſcribit *Dn. Benedict. Carpzov.*



*Carpzov. in prax. crim. part. 1. quæſt. 33.* Hæc itaq; ſunt, quæ hoc tempore pro ratione præſentis materiæ, in medium prolata eſſe volui, cætera huc pertinentia, ne detineatur auditorium, in uberiorem dicendi commoditatem reſervantur.

SEcundus erat ANTONIUS SINOLD, cognomento SCHÜTZ, Viri Magnifici & Nobiliſſimi Domini JUSTI SINOLD, cognomento SCHÜTZ, J. U. D. Academiæ & Regiminis Giſſenſis Cancellarii &c. filius, puer non minùs eruditione, quàm ſpecie & moribus commendatiſſimus, qui DN. MARTINO MÜLLERO, J. U. Lic. Doctorando ſecundo, quæſtionem de Jure Retorſionis proponebat, cujus deciſionem præmemoratus Dn. Doctorandus pro parte affirmativâ ex veris Juris principiis ita dabat, ut nemo facile quicquam in eâ deſiderari poſſet. Eam vero conſultò lubensq; hîc omittendam cenſuit, ne, quod fieri ſolet, delicata ingenia offendantur.

TErtius erat ESAIAS KUGELMAN, qui Domino HENRICO BÜNNING, tertio Doctorando quæſtionem de Matrimonio, an *illud ſine conſenſu parentum contractum, ſi juramentum interceſſerit, firmum & ratum ſit habendum?* haud diſparibus uſus verborum globulis, decidendam proponebat, ad quam verò Dn. Doctorandus ſequentibus ſe exſolvebat verbis.

### *RESOLUTIO III. DOCTORANDI.*

THema Juridicum, quod puer ingenue mihi reſolvendum proponis, eſt hoc: *An matrimonium ſine conſenſu parentum à liberis contractum, ſi juramentum acceſſit, firmum & ratum ſit?*

Ne Illuſtriſſimo, Magnifico, ſolenniſſimo ac ampliſſimo huic conſeſſui multis verborum ambagibus moleſtus ſim, ac multa de hac, quamvis quotidiana & nota, tamen ardua & intricata controverſia juridica præmittam, ſtatim, quid de ea ſtatuendum putem, non multis argumentis dicam. Controverſiſſimam quidem eſſe & in utramq; partem acerrimè diſputari eam quæſtionem me jam non latet, & de qua tam variæ ſunt Theologorum & JCtorum ſententiæ & opiniones, ut non mirum, ſi cum Celſo hic ſubſiſterem, *l.32 de rebus cred.* nec quid ſtatuendum ſiet, mihi non liquere jurarem, *l.31. ff. de re judic.* verùm non hæſito, quin, ſalvo tamen conſiſtorialium, aliorumq; rectius ſentientium judicio, negativa ſit verior, ita ut matrimonium præfato modo à liberis contractum, non obſtante juramento eorum diſſenſu parentum impediri & diſſolvi omni jure queat.

1. Et ad hoc me inducit 1. textus expr. *Num. 30. verſ. 4. 5. & 6. ubi dicitur,* Mulier, ſi quicquã voverit, & ſe juramento obſtrinxerit, quæ eſt in domo patris & ætate puellari, ſi pater cõtradixerit, & vota & juramenta ejus irrita ſunt, & Dominus ei erit propitius. Ex quibus verbis apertè conſtat, liberos nec Deo ipſi vota facere, nec ſeſe ullâ ratione juramento ſine parentis conſenſu obſtringere poſſe, & etiamſi aliàs hominem ea præſtantem ſanctiſſimè & arctiſſimè in conſcientia adſtringant, Deum tamen tali caſu propitium eſſe, nec liberos tanquam perjuros, quòd juramento contraveniant, punire, unde ſequitur, quòd ſi filius alicui juratò promiſit matrimonium & pater contradicat promiſſio illa irrita & nulla, nec juramentum interpoſitum obligatorium ſit, Deus etiam remittat, nec imputet illud.

2. Omne juramentum debet interponi ſuper rebus ſervatu



ſervatu poſſibilibus, licitis & honeſtis. Impoſſibilium enim nulla obligatio, *l.185. de R. I. C. nemo poteſt, de R. I. in ſexto* & quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem aut verecundiam & ut generaliter dicã, bonos mores, ea nec facere nos poſſe credendum eſt, *l.15. ff. de condit. Inſtit. c. ſicut ex literis 13. C. quemadmodum 25. extr. de jurejur.* juramentum enim non debet eſſe vinculum iniquitatis. *C. quanto 18. ext. eod. C. inter cætera, 22. q. 4.* Et juramentum contra bonos mores non eſt obligatorium, *C. non eſt, de R. I. in ſextò, Gail. 2. obſ. 42. nu. 2. Vultej. volum. 4. conſil. Marpurg. 55. n. 100.* nemo autem negabit, pietatem & reverentiam parentibus à liberis debitam graviſſimè exinde lædi, ſi illi contra quartum præceptum & ſacras literas *Hierem. 29. v 6. 1. Corinth. 7. v. 38. Epheſ. 6. v. 1. & ſeqq. Exod 34. v. 16 Deut. c. 7. v. 3. & ſeqq. & Exod. 22. v. 17.* matrimonium ineant, nec exemplo Iſaaci, *Geneſ. 24.* Jacobi, *Geneſ. 28.* Samſonis, *Iudic. 14.* & Tobiæ, *Tob. cap. 6.* ex præſcripto parentum uxores ab harum parentibus ſibi deſponſari faciant, *Beuſt. de matrim. part. 2. c. 55. Cypræus de jure Connub. cap. 5. §. 6. n. 1. Kitzel. de matrim. cap. 4. theor. 3, lit. a.*

3. Tertiò, omne juramentum ſemper debet habere tres comites, veritatem, judicium & juſtitiam, *C. etſi Chriſtus ext. de jurejur.* quorum uno deficiente juramentum non obligat jurantem, *C. Et jurabunt, c. licet 22. q. 1. Gail. 2. obſ. 147. nu. 3. & Dd. communiter.* Sed in hoc juramento deeſt comes, juſtitiæ, quia parentum conſenſus de jure civili in tantum requiritur in contrahendis liberorum nuptiis, ut ille potiùs præcedere, quàm omitti debeat, *pr. Inſt. de nupt. l. 11. l. 13. ff. de ſponſal. l. 2. de rit. nupt. l. 14. C. eod. l. 68. de jur. dot.* atq; aliter contractum ipſo jure nullum eſt, ita ut nec vir, nec uxor, nec dos & donatio propter nuptias intelligatur, & liberi inde nati in patris poteſtate non ſint, ſed ſpuriis & vulgò conceptis aſſimilen-

ſimilentur, §.*12.Inſt.de nupt. Dd. in l.11.ff.de ſtat. hom.* W*eſenb, w. de rit.nupt.n.3.Cothman,reſponſ.1.n.640.& ſeqq. Cypræus de jur.Connub.cap.6.§.1.* quod autem nullum eſt, nec juramento, utpote, quod non ſupplet conſenſum *l.fin. C. de non numer.pecun.* firmari poterit, *l.ſi quis inquilinos §.fin.junct. ibi gl. fin.de leg.1.l.ſi jusjurandum. §.ſi paciſcar v. & generaliter,ff.de pact. Bald.conſ.250.incipiente, conſiderandum, lib.5.*

Quartò, ſi juramentum iſtud valeret contra authoritatem & conſenſum parentum, ſequeretur hoc abſurdum & inconveniens, quòd liberi hâc ratione eluderent conſenſum parentum, quilibet enim poſſet uti hac cautela juramenti, pro excludendâ parentum authoritate, quod eſſet abſurdum, *Beuſth.de matrim.part.2.cap.48.* Argumentum autem ab abſurdo in jure noſtro eſt validiſſimum, *Everh.in Topic.loc.ab abſurdo.* Nec unâ viâ concedendum, quod aliâ eſt prohibitum, *C.cum quid una, de R.I.in 6.l.ſcire oportet, §.1.ff. de tut.& curat.dat.ab his.* Et nota eſt regula, uno prohibito, alia omnia, per quæ ad illud pervenitur, prohibita eſſe, *c.præterea de offic.jud.deleg.ubi gl.l fin.C.de uſur.rei jud.Gail.2.obſ.39.n.10.* aliàs feneſtra fraudibus aperiretur & delinquendi occaſio contra *l.38.ff.de R.V.l.5.ff.de pact. dot.* præſtaretur. Inprimis cùm amantes non ultra modum ſapere, nec furorem amoris, utpote quo vehementius nihil, intra cancellos perfectæ Philoſophiæ continere credantur *Nov.74.cap.4.pr. Menoch.de arb.jud.q.caſ.328.n.1.* Exemplo Salomonis qui aſſidua mulierum converſatione adoravit idola & eis templum ædificavit, *1.Reg.11,v.4.& 7.C.Salomon,32.q.4.* & Appii Claudii JCti, qui amore virginis omne fas atq; nefas miſcuiſſe dicitur, *l.2.§.24.de O.I.* Cui ſententiæ adſtipulatur in terminis terminantibus Lutherus noſter in ſuo libello *de cauſ.matrim.art.2.pr.* ubi conſulenti cuidam amico de ſimili caſu



caſu ita reſpondet: Habent filii in hoc caſu mandatum & verbum divinum de requirendo parentum conſenſu, ideò non eſt quæſtio, quid filius fecerit, vel quomodo juraverit, ſed an piè & juſte fecerit? pro mera enim levitate juramentum illud habendum, utpote quod non eſt vinculum iniquitatis, nec valet, quia eſt contra Deum; & ſi filius hoc agnoſcat & de eo doleat, certè nullus hominum, quicunq; ille etiam ſit, habet facultatem impediendi filium in ſua pœnitentia & converſione; Et in hanc ſententiam inter alios complures deſcendit *Beuſth.in tract.ſuo de matrim.part.2.c.48.* plura quidem addere poſſem, ſed nec inſtitui mei eſt, nec temporis ratio patitur.

Cùm autem in rebus humanis uſq; adeo à controverſia nihil ſemotum ſit, etiamſi maximam cum juſtitia habeat conjunctionem, quod nõ dubitationem & controverſiam recipiat, ſi ſubtiliter cura animi attendatur, inquiente Imper. Juſtiniano in *Nov.44.cap.1.§.3.* ita etiam hæc præmiſſa ſententia non caret argumentis contrariis, quibus invalidari ea poſſe videatur. Inter alia potiſſimùm ſubſequentia ſunt 1. Quòd in cauſis ſpiritualibus & matrimonialibus, conſcientiam & periculum animæ concernentibus ſequamur jus Canonicum, *teſt. Schneidw. ad tit. Inſt. de nupt. rubr. de conſang. & Affin. Gail.2.obſ 141.n.10.& aliis.* Eo jure autem habeatur ratio non juris patriæ poteſtatis, ſed conſenſus eorum, qui matrimonium contrahunt, utpote qui ſufficiat eo jure, etiamſi parentes reclament, *C.ſufficiat,27.quæſt.2.C. hoc ſanctum 32.q.2.c.6.x. de raptor. Gail.2.obſ.95.n.4.* Et hoc de jure Canon. noviſſimo dubio carere. *Synod.Tridentina Seſſ.24.decr.81.* Römiſche Keyſerliche Mayeſt. Erklärung / *de anno 1548. ſub tit.* vom Sacrament der Ehe / *prope fin.* §. Darumb dieweil ꝛc. 2. Quòd omne juramentum, quod abſq;

 diſpen-

diſpendio ſalutis æternæ ſervari poteſt, ſervandum ſit, juramentum verò à filio prædicto modo, præſtitum abſq; diſpendio ſalutis æternæ ſervari poſſit. E. Major & minor ex præmiſſis probantur. 3. Poſito, quòd in hoc filii parentum conſenſum in contrahendis nuptiis non requirentes graviter peccent, gravius tamen & enormius peccatum eſſe videatur, religioſè & juratò fidem ſemel datam fallere & quidem cum maxima irreverentia & injuria Dei, prophanatione nominis ſui divini & læſione, ſcandaloq; proximi: Cùm gravius ſit, divinam offendere Majeſtatem, quàm ullum hominum, *auth. Gazaras C. de hæret. & Manich. c. vergentis 10. x. eod.* Et præceptum: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, ſit in prima, *hónor autẽ parentum*, in ſecunda Decalogi tabula; Regulam autẽ Theologorũ eſſe, quando duo delicta primæ & ſecundæ tabulæ concurrunt, ut in præſenti caſu, quòd tunc ſemper tabula ſecunda debeat cedere primæ. 4. Quod tali caſu reſpectus patriæ poteſtatis non poſſit haberi, cùm juramento interpoſito jus patriæ poteſtatis & honor parentibus debitus jam violatus ſit, proindeq; id ipſum, quod jam factum eſt, infectum fieri nequeat *arg. l. 85. §. 1. ff. de R. I.* quo caſu multoties ea, quæ vel injuſtè facta ſunt, non reſcindantur, *l. 1. §. 5. ff. Quand. appell. l. 7. §. 4. ff. de Interd. & releg. §. l. 1. . 1. ff. de fer. C. quãdo. x. de divort.* atq; ita etiam multa impediant matrimonium contrahendum, quæ contractum non diſſolvunt, *l. 8. junct. gl. in verb. retinere, ff. de qui ſunt ſui vel alien. jur. c. 25. x. de jurej. Schneidw. Inſt. de nupt. part. 2. de nupt. licit. n. 35.* proindeq; parentes jure patriæ poteſtatis non nimis acerbè uti, nec matrimonia bene concordantia turbare & diſſolvere poſſint nec debeant, *l. 1. §. 5. de lib.*



*de lib. exhib.* ſed liberorum conſcientiis, utpote quæ eſt res tenerrima, quę facile læditur & difficulter ſancitur, *Stephan. de Mareſchot tract. de nupt. cap. 4.* potiùs conſulere & eas ab injuria & irreverentia Dei liberare debeant.

Verum hæc non ſunt tanti, ut à priori ſententia me dimovere, & illam invertere poſſint. Ad primum enim argumentum reſpondetur negando, quòd hoc jure non æquè, ac jure civili requiratur cõſenſus parentum in nuptiis liberorum, idq; apertè evincitur *per c. aliter 1. c. noſtrates, 30. q. 5. c. 12. 13. 14. & fin. 32. q. 2. c. 38. 27. q. 1. c. 1. de deſponſat. impub. c. 3. qui matrim. accuſ.* ita ut *in d. cap. aliter* conjugia ſine conſenſu parentum contracta dicantur adulteria, ſtupra, fornicationes, nec obſtat *c. ſufficiat, 27. q. 2.* quia 1. ibi non excluditur cõſenſus parentũ, ſed ſolùm concubitus, vel conſenſus ſolus ibi opponitur concubitui vel ſolennibus, *arg. l. 30. de R. I.* 2. ibi non loquitur canoniſta de conjugio liberorum in ſpecie, ſed in genere, & 3. requirit nihilominus *in d. c.* conſenſum ſecundùm leges, ſecundùm leges autem requiritur conſenſus parentum, per ſupradicta. Nec obſtat *c. 6. x. de raptor.* loquitur enim tantùm de raptu, raptum ſcilicet non videri, ſi puella conſenſerit, licet reclamantibus parentibus, & ita omnia alia capitula, quæ obſtare videntur, ſunt interpretanda, ne conſenſus parentum excludatur. Nec nos Synodus Tridentina, aut cõſtitutio Imperii quicquam movet; iſti enim, quantum tribuere debeamus, notum ſatis eſt, & eleganter demonſtrat magnus ille Theologus Chemnitius in examine Concilii Tridentini: Hæc vero à proteſtantibus nunquam approbata aut recepta eſt. In ſecundo argumento minor eſt falſiſſima; nego enim & pernego, hoc juramentum ita ſervari poſſe, cùm ſit vinculum iniquitatis, contra bonos mores, omnes leges, omniaq; jura & ita

 non

non obligatorium, uti ſupra ſatis abundè demonſtratum fuit. Ad 3. reſp. quòd licet parentes etiamſi liberi graviſſimè & enormiſſimè contra omnes leges, omniaq; jura peccent, ſi ſine parentum conſenſu & conſilio matrimonium ineant, conſcientiæ liberorum potiùs conſulere, quàm jus poteſtatis ſuæ, utpote quod non in atrocitate ſed pietate conſiſtere debet, *l.5.ff. ad L.Pompej. de parricid.* exercere debeant, inprimis ſi juſtam diſſentiendi cauſam non habeant, tamen ſi nihil de eo remittere, ſed omnia, quæ intervenerunt, reſcindere & retractare velint, audiendi omninò ſunt & jure ſine injuria liberorum jure ſuo utuntur, *l.55, l.151. de R.I.* Dominusq; liberis erit propitius, *per text. expr. ſupr. alleg. Num.30.v.4.& ſeqq.* quandoquidem Reipubl. plurimum intereſt, authoritatem parentum conſervari, & proſpiciendum, ne libertas illa conjugii in effrenem abeat licentiam, & negligatur fieri id, quod Deus & ſua cuiq; ingenita natura jubet. Minus ferit 4. argumentum, quamvis enim factum infectum fieri nequeat, quatenus ſcilicet conſideratur ſimpliciter ſeu externè & in ſe, ſecus tamen eſt quoad effectum juris; quo ad hunc enim perinde habetur, ac ſi factum non fuiſſet, *per L.5.C.de LL.* & actus, qui honeſtatem & pietatem lædit, & eſt contra bonos mores, ipſo jure nullus eſt, *l.15.ff.de condit.inſtit.* Aſt, quamvis hæc ita ſeſe habeant, nihilominus tamē ſi parentes juſtam diſſentiendi cauſam non habeant, nec res inter contrahentes ſit amplius integra, ſed copula intervenerit, ut habeatur ratio vitiatæ, cui maxima fieret injuria, ſi ſtuprator eam non duceret, & ne vel lædatur pietas, nec parentum lædatur authoritas, vel etiam horum auſteritas aut liberorum licentia confirmetur, rectè juxta omnes penè ordinationes in Eccleſia proteſtantium, ad evitandum majus malum, & ſcandalum





facit Magiſtratus, ſi authoritatem ſuam interponat, & parentes admoneat, ut habeant rationem conſcientię liberorum, nec jura ſua nimis acerbè exerceant, ſed in tale matrimonium conſentiant. Plura de hac quæſtione diſſerere, temporis ratio non permittit.

INter hæc, & dum quæſtiones illę à Dominis Doctorandis reſolvebantur, ſuperiorem Cathedram ſucceſſivè aſcendebant tres eorum Paranymphi, Juris Canditati, nempe CHRISTOPHORUS SINOLD, cognomento SCHÜTZ, nomine DOMINI JACOBI LEBLEU: nomine DN. MARTINI MÜLLERI, DN. NICOL. MEINERTUS; & nomine DN. HENRICI BÜNNING, DN. PHILIPPUS LAURENTII, qui oblatis tribus quoq; libris & chirothecis, pro more, gratias Promotori agebant, quòd Doctorandorum cauſam ſuſcipere, atq; hoc laboris pro ipſis ſubire non recuſaſſet, rogabantq; ut porrò patrocinio ſuo ipſis adeſſe, atq; actum illum ad optatum finem perducere vellet. His ſic actis, operæ precium erat, ut tres illi Juris Licentiati, ſive Doctorandi, è ſtationibus ſuis migrarent, atq; eo, quo ſtabant ordine, ad Sereniſſimorum Principum genua devoluti, poteſtatem illam, quâ Dominus Promotor illos in J. U. Doctores crearet, ab ipſis impetrarent. Illis ergò more conſueto humili ſolo ante Principes reclinatis, brevi & concinnâ oratione nominatus ſæpè Nobiliſs. & Magnificus Dominus Promotor in Doctores ipſos creandi facultatem à Sereniſſimis Principibus rogabat, atq; ſic quidem obtinebat, ut Sereniſſimus Celſiſſimusq; Princeps & Dominus Dn. LUDOVICUS HASSIÆ LANDGRAVIUS diſertiſſimis verbis eandem ſic largiretur:

*Cùm honeſta petentibus, juxta civilem rationem, aſſenſus non ſit denegandus, jubente id lege, ut bene merentibus honores ac præmia diſtribuantur. Hi autem Candidati, Academiæ publico teſtimonio, ut digni honoribus, quos petunt, clareant, nihil video obſtare, quò minùs aſſentiamur, ac ipſis honores conferantur. Damus ergò & concedimus Tibi Promotori poteſtatem, ut hiſce Candidatis memoratos honores ac immunitates Doctorales conferas, idque ex authoritate, & Cæſareæ Majeſtatis, & colendiſsimi Domini Parentis, nunc mihi cum Fratre dilectiſsimo demandata. Cæterùm vota pro incremento Academiæ iterato affectu repetimus, ac ob hunc ſolennem actum partum in ipſis initiis decus gratulamur.*

Quid porrò? cùm ſic, actis à Promotore nomine Candidatorum gratiis humili tellure relictâ, & ſubmiſsâ exhibitâ Principibus veneratione, hi ad cathedram reverſi fuiſſent, juramenti ſequens formula à miniſtro Academiæ publico JOHAN JUSTO VALENTINO ipſis prælecta fuit, ad quam etiam religioſè, erectis duobus digitis, jurârunt.

*FOR-*



# *FORMULA JURAMENTI.*

## CLARISSIMI DOMINI CANDIDATI, &c.

*PRiuſquam ad ſummum Doctoratus gradum, in ſanctiſſimo juris ſtudio admittamini, atq; Inſignia Doctoralia conſequamini, Vos Capita jam prælegenda, pro fide veſtrâ ſanctiſſimè obſervaturos, ad hæc Academiæ noſtræ ſceptra, jurejurando affirmabitis.*

*Primùm Vos Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum GEORGIUM Heſſorum Landgravium, Comitem in Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhainâ, Niddâ, Iſenburgo & Budinga, &c. Principem ac Dominum noſtrum Clementiſſimum, & Serenitatis ſuæ Succeſſorem; Itemq; Senatum Academicum, ad extremum uſq; vitæ diem prædicaturos, debitoq; honore affecturos, adeoq; Univerſitatis Incrementum & commodum ubivis gentium fideliter procuraturos eſſe.*

*Deinde Vos Leges ſacratiſſimas. & jus ipſum, cujus Cultores Vos profitemini, candidè ac citra ullius injuriam, quantum in Vobis eſt, tractaturos, nihilq; quod ad ejus adulterationem tendit, admiſſuros.*

*Poſtremò Vos gradum hunc Vobis decretum, nullâ aliâ in Academiâ, ob quamcunq; cauſam iteraturos, ſed hoc beneficio ampliſſimo Vos per omnia dignos oſtenſuros.*

Dicat quiſque, ſanctè promitto.

Juramen-

JUramento ita obſtricti in U.J. Doctores creati ſunt ſinguli, dataq; ipſis eſt facultas Jura ſanctè docendi & interpretandi, & privilegia omnia, cum immunitatibus conceſſa, quæ U.J. Doctoribus autoritate Cæſareâ ubivis gentium conferri ſolent. *In Nomine SS. & Individuæ Trinitatis, Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Ad ſuperiorem deinde cathedram vocatis novis Doctoribus ceremoniæ quædã adminiſtratæ ſunt. Et quidem liber cuilibet primò datus apertus, mox clauſus, ſciẽtiæ teſtimonium, & ignorantię effugium. Deinde pileus cujuſvis capiti cum corollis aureis, unionibusq; & gemmis interſtinctis impoſitus, libertatis ſignum. Annulus porrò unicuiq; datus, deſponſationis cum Juſtitiâ interruptæ ſymbolum. Poſteà oſculũ diviſum & pueri poſtremò innocẽtes cũ accẽſis facibus, luce meridianâ introducti, amoris & innocuæ ſinceritatis, præconium; quibus omnibus ſolenniſſimè celebratis, NOBILISSIMUS ET MAGNIFICUS VIR DOMINUS JUSTUS SINOLD, cognomento SCHüTZ, &c. Promotione defunctus, cum novis Doctoribus è cathedrâ deſcendit, ſuoque cum ipſis loco conſidens, Medicæ Promotioni locum conceſſit.

*PRO-*



# PROMOTIONIS MEDICÆ SOLEMNIA.

JAm Muſica plauſum dabat iterum, & de conſeſſu Patrum conſurgens Vir Nobilis, Experientiſſimus & Clariſſimus DN. JOHAN-DANIEL HORSTIUS, S. Medicinæ D. Profeſſor & Archiater Haſſo-Darmbſtatinus cum Candidato ſuo, JOHANNE TACKIO, cathedram conſcendere cæperat, cùm finitò eleganti Muſices concentu, ſequenti diſertiſſimâ, doctiſſimâq; Oratione Doctoratûs Medici ſolemnia auſpicari voluit.

## ORATIO D. JOHAN-DANIELIS HORSTII.

ILluſtriſſimi, Celſiſſimi Principes ac Domini, Domini Clementiſſimi, Magnifice Dn. Rector, Illuſtriſſime Dn. Comes, Generoſe Dn. Pro-Princeps, Magnifici Domini Cancellarii, Nobiliſſimi Domini Præfecti, Patres Conſcripti Academiæ meritiſſimi, Viri admodùm Reverendi, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, Excellentiſſimi, Acutiſſimi, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi.

Divinis laudum præconiis deprædicandus Patriæ noſtræ Pater, Sereniſs. Princeps GEORGIUS, Haſſiæ Landgravius &c. quòd Patriam noſtram preſſam & emortuam ferè dulciſſimo Gratiarum rore riget, dum divino Spiritus S. afflatu motus, vix micantibus primis pacis ſcintillis, Scholam hanc, almam ſtudiorum matrem, pietatis, artium & virtutum officinam inſtructiſſimam aperiat. Magna res eſt, cedróq; digna Scholarum erectio; in his enim non tantùm ſinceræ Religionis ſumma capita incorruptè proponuntur, linguarum principia perſpicuè traduntur, artium & diſciplinarum ſtudia dextrè explicantur, ſed &

O pietatis

pietatis atq; virtutum ſemina teneris mentibus fideliter inſtillantur. Habetis, Haſſiæ incolæ, Theologos Orthodoxos eminentiſſimos, ut illis ducibus vobis non nocere poſſint ulli heterodoxi aut hæretici. Habetis JCtos dexterrimos, ad omnes injurias depellendas vindices acerrimos, ad Juſtitiam decorandam, tuendam & conſervandam promtiſſimos. Habetis Philoſophos ſolertiſſimos & acutiſſimos, ſapientiæ doctores inclutos. Utq; valetudinem veſtram curare poſſitis, ita conſtituente Optimo Principe, præſtò ſunt Medicinæ Profeſſores, Medicinæ, inquam, artis non minùs neceſſariæ & utiliſſimæ.

Sive enim ſubjectum ejus, ejuſve finem, Auditores omnium ordinum honoratiſsimi, penitius rumineris, quid melius ſanitate? quid in hoc orbe nobilius Microcoſmo? Certè, ſi ſubjectum Medicinæ, circa quod agit penſiculatiùs examinetis, nihil in mundo vaſtiſſimo invenietis, quod non ſuo modo reperiri poſſit in homine. Uti in prima creatione ante diviſionem aquarũ ab aquis totus orbis erat *terra & aqua*; ita in prima hominis Microcoſmi, minoris mundi, generatione fœtus totus *aqua* quaſi circumfuſus eſt: ſeparatis autem aquis, annon Creator Opt. Max. firmamentum fecit, cœlumq; expandit, aut, ut alii vertunt, extendit ſicut *pellem*? Habetis enim in hoc cœlo, in *Cute*, Polum Arcticum & Antarcticum, *Verticem & pedes*: Habetis ortum & occaſum, *dextrum & ſiniſtrum*: Habetis *æquatorem* diaphragma exempli cauſa: Habetis *meridianum* coxendicem: habetis *zonas, tropicos, epicyclia*, ſi viſcera & diſtinctas horum cavitates inſpiciatis penitiùs. Habetis ſeptem Planetas *Epar* Jovem, *Martem* veſiculam bilis, *Solem* cor, *Venerem* teſtes, *Mercurium* lienem, *Lunam* cerebrum, *Saturnum* ſtomachum. Habetis *ſtellas* nervos, & *Solis* & *Lunæ* quidem proprietates in nervis opticis: *Mercurii* in loquela: *Veneris* in pari tertio: *Martis* in auditus organis, *Iovis* in ſexto pari: *Saturni* in maſſeteribus nervis. Habetis quatuor Elementa, *Ignem* ſpiritus vitales: *Aërem* animales: *Terram* oſſa & carnem: *Aquam* humores. Habetis *meteora ignea* febres ardentes, inflammationes, phrenitides, ſynochos: *Aquea* catarrhos, deſtillationes, pluvias &c. Habetis *metalla, lapides*. Habetis *plantas olivæ* pinguedinem, *hypericonis* ſanguinem, *lac* tithymali, *bilem* chelidonii. Imò quid in brutis excellit, quod non in homine quoq; lateat? Adeſt *Hirundinum* Architectonica, ſolertia *Halcedonis*, ingeniũ *Elephantis*, *Cervarum* prudentia, *Equorum* docilitas, *Perdicum* aſtutia, *Gruum* vigilantia, *Apum* Geometria, *Formicarum* ſedulitas, *Canum* fidelitas, *Ciconiarum* gratitudo.



Sed nec animus fert, nec tempus jam patitur ſigillatim hîc exponere, quomodo, ut dixi, cœlum, elementa, meteora, mixta, plantę, bruta pulcherrimè & prolixè ex hominis conſideratione pateant. Id admiratione meritò digniſſimum eſt, quòd non obſcurè & ſtatuum vitæ imago germana & dilucida in homine deliteſcat!

Eccleſiaſticum ſtatum, hujuſque gubernationem & conſervationem homini, ejuſque membris comparare facilimum eſt, claſſicisque Authoribus familiare ſatis. Si munera & officia Eccleſiaſtica, horúmq; diſtinctionem conſideremus, ſi diverſa dona conferamus, certè ex diſtinctione membrorum noſtri corporis, vel Paulo ipſo manuducente ea omnia ad amuſſim diſcere poſſumus. Gradus enim officiorum in Eccleſia per quàm aptè diverſitati partium corporis humani reſpondere ſcripſit Apoſtolus, ut ſine ambitione, ſine invidia, ſine contentione

Theologi vitam agerent Theologicam. Si totum corpus oculus, inquit Apoſtolus, ubi auditus, ſi totum auditus, ubi olfactus? Nunc autem Deus poſuit membra, unumquodque ſigillatim in corpore quemadmodum voluit. Haud aliter Eccleſiæ miniſtri facundi non omnes, nec omnes Apoſtoli, nec omnes Prophetæ, nec omnes Doctores, nec omnes habent dona ſanationum, nec omnes loquuntur linguis; Aſt hæc omnia efficit unus ſpiritus, ut ſummè neceſſaria & apud Eccleſiæ miniſtros ſit concordia, unanimis affectio, & alma illa Hippocratica conſpiratio ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθεία πάντα.

Politici verò ſtatus in homine multæ, plures & variæ ſunt imagines. *Sicut civitas*, inquit Plato, *in tres ſpecies diviſa eſt, ita & animus trifariam diviſus. Cúmq; tres ſint animi partes; tres quoq; voluptates eſſe videntur, ita quidem, ut unicuiq; una ſit propria, & cupiditates quæq; & regiminum modi eodem pacto.* Annon ad amuſſim Platonicis his tribus animi partibus, Philoſophæ, quâ diſcimus, Ambitioſæ quâ iraſcimur, Avaræ, quâ deſideramus, reſpondent aliæ atq; aliæ Reſpublicæ? Annon Philoſophæ reſpondet Reſpublica *Athenienſium*? Ambitioſæ *Lacædæmoniorum*? Avaræ *Corinthus*? Annon conſervari & curari debet Corinthus ut avara, Lacœdæmoniorum ut ambitioſa, Athenienſium ut Philoſopha animi pars?

Quod etiam in omni Republica tria ſint ſummè neceſſaria, Rex ſcil. qui leges det, robur quo ſe defendat, & media unde vivat, ventres tres ſeu civitates corporis noſtri humani inculcant. Supremus venter caput, ακρόπολις eſt, Palladis arx, ubi Rex τὸ ἡγεμονικὸν μέρος reſidet. Armamentarium in pectore eſt, eſt enim pectus δορυφορικὴ οἴκησις, ubi τὸ θυμικὸν reſidet. Hîc arma ſunt, affectus, quæ ſæpè ſeditiones



movent, ſi enim non ὁμοιοτρόπως σπῆα ingerantur, noxa ſequitur, ὅτι ςασιάζει. Uti autem in Republica ſeditiones compeſcit Rex, convocatis undiq; auxiliis, ut violentiori impreſſione ſedent & compeſcant datas turbas. Ita ſi ira in corde accenſa eſt, mens, Rex, ex venis & arteriis communicato cum nervis conſilio in auxilium vocat ſpiritus & ſanguinem, ut ad cor recurrant in locum ſcilicet tumultus, & repreſſis affectibus exæſtuantibus reddant illud rationi ceu Regi & Domino obediens. Infimus vero venter Regi dat commeatum & media unde vivat, ut non immeritò eum Plato dixerit φάτνην, facultatemque ibi poſitam ὥσπερ ἄγριον θρέμμα.

In ipſis autem viſceribus corporis noſtri Aulæ officia pulcherrimè exhibentur. Cerebrum veluti Cancellarius eſſet curia, in qua deliberationes ſuſcipiuntur de rebus agendis & omittendis. Epar dapifer eſt, menſæ regiæ curam agens. Pulmones pincernæ & pocillatoris vicem gerunt. Ventriculus cum inteſtinis ſuperioribus, veniſq; meſaraicis Archimagirus eſt, de dapibus rectè coquendis, parandis & offerendis ſolicitus. Inteſtina inferiora, veſica, folliculus fellis, viliora miniſteria obeunt, ad ſordium & inquinamentorum amotionem neceſſaria. E corde autem, ceu ſolio regio patent viæ ſatis amplæ & tritæ in omnem corporis regionem, per quas mandata deferuntur quovis locorum, & per quas tota gubernationis vis & poteſtas in omne corpus, ceu in omnem regionem Regi huic ſubjectam, extenditur. Viæ ſunt venæ, arteriæ, nervi. Mandatarii ſeu emiſſarii regis ſunt ſanguis & ſpiritus, per quos Rex longas regias manus extendens, ubiq; in toto Regno veluti præſens eſt, totamq; totius imperii molem & gubernationem ſuſtinet & tuetur.

Tertium ſtatum, Oeconomicum quod ſpectat, variis typis ille ſe prodit in Oeconomia corporis humani. Venæ dant agriculturam. Muſculi prata commendant. Mercaturam viſcera cōcoctionis. Aliæ partes alia. Virtutes autem Oeconomicæ neceſſariæ pulchrè hîc elucent. Quemadmodum, quo ad ſedulitatem, virtutem Oeconomicam pretioſiſſimam, neceſſe eſt, ut quiſq; quod ſui eſt muneris obeat gnaviter, alii laborando, alii ſedula inſpectione attentioneq; adhibita inſtando atq; inſtigando: Ita inſtar Solis & Lunæ in corpore noſtro motu quaſi circulari venæ & arteriæ ſanguinem vehunt, revehuntque, perpetuæq; alterationes, coctiones, præparationes, elaborationes, & perpetuæ defœcationes ibi, nunquam feriantibus facultatibus, ſine mora inſtituuntur. Ventriculus nunquam ceſſat elaborare chylum. Hepar ſemper & indefeſſo ſtudio ſanguificationi incumbit. Cerebro nullæ dantur feriæ. Omnes partes in univerſum ſemper agunt, aliter atq; aliter, pro alio atq; alio tempore & ipſius hominis conſtitutione & temperie.

Inter Oeconomicas virtutes altera priori non inferior, Parſimonia eſt, quæ parta tuetur, magnum illud vectigal. Ne enim plus abſumamus quàm acquirimus, incitamur exemplo ventriculi non plus capientis ex ſuppeditatis alimentis, quàm neceſſe habet ad ſui nutritionem; exemplo renum, non omne ſerum devehentium; exemplo vaſorum ſanctè concreditum ſanguinem ſervantium.

Mundities autem, ordo & diſciplina in vita domeſtica requiſita, pulchrè & ſedulò in corpore noſtro præſtantur. Quot enim quæſo & quàm ordinata vaſa, meatus, emunctoria? Quanto ordine cuncta fiunt? Quàm appoſitè furenti bili pituita frenum injicit? ſegnitiem pituitæ bilis corrigit?

Annon



Annon hepar quaſi corrector & Pædagogus eſt ventriculi, cùm diſponat ordine, quæ miſcuit ventriculus, eumque caſtiget interdum immiſsâ bile, & proſternat non nihil appetitum, ut cautius diſcat mercari.

Sed quo labor! Utinam non dicendum eſſet ad clepſydram! Lubens hîc & prolixè exponerem (ut ad Politicum ſtatum recurram) regulas Medicas conſervandi & curandi Rempublicam!

Nullum violentum diuturnum eſſe.

Moderata durare.

Habitum felicem ſi in ſupremo conſtiterit, periculoſum eſſe.

Generationem unius eſſe corruptionem alterius, & contrà.

Contraria contrariis expelli.

Omnem curationem fieri ſubtractione, alteratione, adjectione.

Remedia pro ratione naturæ & affectus temperāda eſſe.

Concocta medicari apta nata eſſe, non cruda.

Curandum citò, tutò, jucundè.

Similia ſervari ſimilibus.

Omne ſecundùm naturam, conſervare naturam.

Effectum non tolli niſi ſublatâ cauſa.

Principiis occurrendum.

E duobus malis minimum eligendum, proinde putridum membrum ſæpè enſe reſecandum, ne pars ſincera trahatur.

Extremis morbis danda extrema remedia.

Lubens vellem hæc & ſimilia ex Medicis confirmare, ex Hiſtoricis & Politicis illuſtrare, quomodo hic & ille Princeps, bellive Dux, contra unam alteramq; peccârit, quomo-

quomodo rebus ſuis hic & ille benè conſuluiſſet, ſi in tempore ex his regulis judicaſſet de futura rerum ſuarum Cataſtrophe. Sed ob temporis anguſtiam non licet. Unum adhuc incidit mihi, ab hac ipſa re non alienum. Quòd ſcilicet ſpiritualis morbus hæreditarius Adamicus ad artis Medicæ regulas, inſtar corporis morborum, criſes & ſymptomata paſſus ſit. Ex hac re inquã, Medicis tradere poſſem Criſeos naturam; Politicis & Theoſophis ſalutis recuperatæ & recuperandæ modum. Poſt Adami lapſum Natura humana contraxit morbum hæreditarium, graviſſimum, chronicum & diuturnum, qui adventantibus licet aliquot criſibus, non potuit debellari niſi verâ ſudoriferâ tincturâ, ſanguine Chriſti, catholico ſcilicet alexiterio. Vi morbi, cachexiæ, prima quidem facta pugna eſt inter naturam & ipſum membrum, quâ per copioſum & Univerſalem ſudorem mali & corrupti ſucci, omnes homines prçter *Noëmum & conſortes*, evacuati ſunt, fomite tamen mali & fœtore relicto, calidaq; & ſicca conſtitutione remanente. Hæc calida ſicca morboſa conſtitutio ex metaſtaſi peccantis materiæ tandem delirium peperit de turri exſtruenda, quæ ad cœli culmina pertingeret, à quo tamen ſymptomate *Heberus* non omni humiditate naturalis & vitalis facultatis deſtitutus, liber manſit, reliquis ob linguç confuſionem porrò aberrantibus. Exurgebat hinc effrenatus imperandi & morbum profligandi appetitus facultatis animalis æſtuantis Gentilium, ut *Ninivem* ædificarent, naturali & vitali facultate quaſi abſconditis in Heberi poſteris. Nec tamen animalis facultas ſenſibus poſt abutens evitare potuit majus periculum, incidens tandem in morboſam voluptatẽ & tantam quidẽ ſub *Sardanapalo*, ut nova ſequeretur pugna. Intereà naturalis facultas, vitalibus ſpiritibus ob ſeroſos



ſeroſos humores languidis, *Abrahamo*, Patre multarum gentium, nato, primas tenere incipiebat, quam ipſam paulò poſt Pharaonicis inſultibus labaſcentem, ſuffocatis morbi ſymptomatibus aëris mutatione *Moſes* ita liberat, ut vitali conſentiente Animali gentilium vim inferret penitùs, per unctuoſum, criticum ſed icteritium quaſi ſudorem *Davidis* Regis. Criſis autem icteritia Medicorum decreto non diu durans, & hepati fæces relinquens plerunque, ſcirrhum paulo poſt genuit, in Jojakim Rege Judæorum, quem ſcirrhum ſiccus hydrops, abſumtis omnibus bonis Hieruſalem, ſecutus, tandem verò Perſicis carminativis à *Cyro* ex parte delinitus.

Naturali autem & vitali ab hydropico hoc affectu nondum penitus curatæ, Hieroſolymæ; ſub *Alexandro Magno* Animalis morboſa, eundo vires conſecuta, denuò novas ſtruxit inſidias, quibus tamen, ſed palliativè tantùm non ſolutis prius oppilatibus, obſtabat diarrhæa, tributa ſeptennia liberans, ab Alexandri bonitate profluens. Uti autem impura corpora eò magis lædis, quò magis nutris; Ita Hieroſolymæ accidit, ut à Jaddo non ſublatis prioribus obſtructionibus aſcotym panitidem recidivam pateretur periculoſam ſub Alexandri obitum, quo facto totum ſalutis negocium naturæ committebatur, cum Medicorum decreto hydrops, qui Medicinæ concedit, ac renaſcitur, deſperatus ſit.

Naturæ negocio ſic commiſſo, Hieroſolymæ in ſe agunt facultas Vitalis & Naturalis *Menelaus* & *Lyſimachus*, turbataq; coctione ſeditionem movent ob ingeſtas & cumulatas cruditates, cui ſuccurrit *Antiochus* Rex, Methodicus, corpus ἄνω καὶ κάτω purgando. Vix evacuatis primis viſceribus, denuo oritur humorum tanta acrimonia, quam, ne ſo-

ne ſolenni quidem præmiſſa univerſali evacuatione *Demetrius* Seleuci filius mulcere potuit. Cordialia tum non omiſſa, *Ionatæ* amicitiam indicantia; ſed omnia fruſtra. Tanta ſcilicet erat humorum diſcraſia, ut ob *Ariſtobuli & Hyrcani* diſſidias Aſcotimpanites degenerarit tandem in periculoſiſſimam Aſcitem. Quid tum conſilii? Cùm Medicus quandoq; igne opus habeat & ferro, ecce! proponitur paracenteſis à *Pompejo*, facultatis Animalis Magnæ Naturæ Præſide! Is ad monitum Heracliti in epiſtola ad Amphidamantem ἐξ ἐπομβρίας αὐχμὸν facere intendens, cum decenti & neceſſario apparatu, erectis aggeribus, durata novacula abdomen circa Umbilicum aperit & 12. millia ſeroſitatum menſuras extrahit, tamq; felici ſucceſſu, ut ſub Auguſto, Animalem ſuperiorẽ agnoſcente Naturali & Vitali, *natura* reparata aliquo modo fuerit viſa, non tamen, niſi palliativè, in ſe tota morbida ac orco proxima ob cauſam morbificam nondum ſublatam, ſed intimis viſceribus penitius adhuc incuneatam. Tandem Archiater ſupremus ultimam, veram, germanam & genuinam manum medicam adhibuit, Sanguinem JESU CHRISTI, unicum & ultimum & primum remedium, idq; appoſitâ & pulchrâ omninò applicatione. Morbus noſter Adamicus annon cauſam primam agnoſcit ſuperbiam, inobedientiam & ingluviem? Hæc itaq; contrariis curanda, ne ſimilibus ſervetur & confirmetur. Deus itaq; Opt. Maximus, filium hominem factum oppoſuit cauſæ morbificæ, qui obediens factus pro nobis paſſus eſt, noſtramque inobedientiam radicitus removit. O quam pulchrè, ſi tempus pateretur, per ſecula quælibet deducere poſſem, uti primo faburra tartarea quaſi & viſcida ſe cumularit circa facultatem Naturæ naturalem, quæ poſtea cerebrum occuparit Ani-

nimalis



malis ſedem, & tandem vitali inſidias ſtruxerit. Certè doctiſſimus Medicus morbum tractandi hinc capere poteſt regulas, doctiſſimus Politicus modũ hinc addiſcere poteſt conſervandi Rempublicam. Sed, ut dixi, dicendum eſt ad clepſydram & temporis habenda ratio, atq; id potiùs agendum, cui rei hæc horâ dicata eſt. Dicta & dicata eſt hæc hora ſolenni promotioni Doctorali Medicæ. Solenni enim hoc actu publicè Medicæ Artis Doctor creandus eſt Clariſs. Vir DN. JOH. TACKIUS, Philoſophiæ & Artium liberalium Magiſter Acutiſſimus Artisq; Medicæ Licentiatus experientiſſimus.

Natus is eſt Anno Chriſti 1617. Sole libram peragrante Parentibus Honeſtiſſimis, Patre quidem JOHANNE TACKIO, Primario Cive Wetzflarienſi, cujus & genus & ſanguis Veſaliæ in Belgio notiſſima ſunt; Matre SUSANNA ex famoſiſſimâ & laudatiſſima, univerſæq; Haſſiæ ſatis cognita VIETORUM familia. Hic noſter TACKIUS anno ætatis 16. ad Academiam miſſus, tantos progreſſus fecit in Philoſophia, ut præmiſſis aliquot diſputationibus anno ætatis decimo nono in Philoſophiæ Magiſtrum promotus fuerit publicè, quartumq; inter 14. competitores locũ obtinuerit. Poſt in ſtudio Theologico talem ſe geſſit, ut anno ætatis 22. publicè doctiſſimam diſputationem habuerit de SS. Trinitate, & Majoratus, Collegiiq; Philoſophici Adjuncti munere ſumma cum laude functus fuerit. Tandem in arte Medica eo pervenit, ut anno ætatis 25. licentiam conſecutus ſit aſſumendi honores Doctorales in ipſa arte Medica. Poſſem hic, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, prolixis verbis exponere Licentiati hujus ſingulare genii acumen, praxeos felicitatem, eruditionem conſummatam; ſed ſileo, ne conſanguineo & amico aliquid dare

 videar,

videar. Id ſaltem inculco, non eſſet delectus hic meus Licentiatus in Perſonę Medicum Illuſtriſſimi Celſiſſimi Principis & Domini, Domini LUDOVICI, Haſſiæ Landgravii &c. Domini mei Clementiſſimi; non delectus eſſet in Medicinę & Phyſicæ Profeſſorem, ſi non digniſſimus eſſet, cui conferantur ſummi Honores Doctorales. Ut autem & illi, quibus ignotus es, Clariſſime Dn. Licentiate, Te videant, loquere, & breviter ac nervoſe pro ſingularis ingenii tui acumine expone, quid ſtatuas de problemate à puero jamjam proponendo.

Cùm uſque huc ergò Excellentiſſimus Dn. Promotor perorâſſet, nihil moratus adoleſcens ingenuus, optimæq; ſpei, JOHANNES NICOLAUS EBELIUS, Viri Magnifici & Nobiliſſimi, DN. GEORGII DANIELIS EBELII, J.U.D. CONSILIARII HASSO-DARMSTATINI intimi atq; VICE-CANCELLARII Filius, quâ mores & in ſtudiis humanioribus eruditionem, commendatiſſimus, qui utpote ex adverſo ſtabat, & Doctorando librum præferebat, in talia verba ora ſua ſolvebat.

*PROPOSITIO PUERI.*

Clariſſime & Experientiſſime Dn. CANDIDATE; Dum ad quæſtionem aliquam tibi proponẽdam ab Excellentiſſimo Domino PROMOTORE, inprimis in tam auguſtiſſimo ſplendidiſſimoq; Sereniſſimorum Principum conſeſſu, admoneor; non poſſum, quin hanc tam in Philoſophiâ, quam Medicinâ ſatis intricatam, maximè tamen nobilem & ſcitu dignam, tibi enucleandam proponam: *An in rerum naturalium ordine ulla Naturæ auxilia inveniantur, hoc eſt, ſive lapidum, mineralium & metallorum, ſive plantarum, ſive animalium, aliarúmve rerum virtutes, ſeu præſervativæ ſeu curativæ, potentiæ Dæmonis & maleficiis ita reſiſtentes, ut eadem vel cohibeant, vel infringant, aut etiam penitus exturbent?* exiſtimo enim ejuſdem reſolutionem, neq; Auditorio tam auguſto ingratam, neq; utrâq; tuâ Profeſſione indignam fore.



*RESPONSIO.*

Quæſtionem Medico-Phyſicam proponis doctè & ingenue Adoleſcens, an ſint ulla naturæ auxilia contra Dæmones, id eſt, an in naturæ circulo reperiantur ſeu animalium, ſeu ſtirpium ſeu herbarum, ſeu lapidum. ſeu mineralium, ſeu denique aliarum rerum virtutes potentię Dæmonis ſic reſiſtentes, ut ejus maleficia vel infringãt vel obtundant, vel inhibeant aut etiam penitus evertant.

Ad hujus enodationem libenter quidem deſcenderem, tum illuſtriſſimi hujus auditorii gratiâ, tum rerum Medicarum, niſi Satanæ potentia me abſterreret, atq; dein, ſi profundiſſima natura, cujus abdita uſq; huc nemo mortalium dignoſcere atq; perſcrutari rectè potuit mihi cognita eſſet. Ut enim potentiam Diaboli à primo mundi exordio primi noſtri in paradiſo parentes, atq; deinceps univerſum genus humanum peccatis ſuffocatum maximo damno experti ſunt; ita indies ejus veneficia, doli, vexationes, illuſiones, milleq; nocendi modi adhucdum de ejus poteſtate teſtimonium abundantiſſimè perhibent, ut etiã in hiſtoriis Medicis audiamus & legamus, ſæpè alios lanam, pilos, clavos, aciculas & id genus alia cum horrendiſſimis ſymptomatibus è corporibus ſuis evomuiſſe: alios diris cogitationibus ad deſperationem & propriam internecionem perductos. Eſt enim Apollyon, Leo rugiens, armatus fortis, Spiritus callidiſſimus, hoſtisq; humani generis infenſiſſimus, cum quo & ipſe Salvator conflictatus eſt toties, ſed victor & Triumphator.

Si jam cum hoſtis hujus viribus naturæ conferam virtutes, ſtatim ex Philoſophorum ſententiâ occurret, quod omnis actio ab exceſſu fiat agentis ſupra paſſum; At quis Angelos utpote Spiritus non dicet naturæ viribus ſuperiores. Imò ſic quidem ſeſe ad invicem habent, ut inter dæmones, & res naturales nulla reperiatur proportio, utpote inter materiale & immateriale, corruptibile & incorruptibile, compoſitum & ſimplex, purum & impurum, terrenum & cœleſte. Et ſi vel maximè aliqua his naturis ineſſet proportio, quis explicaverit quonam pacto res naturales in ſubſtantiam ſpiritualem vim ſuam exererent. Et nonne ſequeretur ſi à rebus naturalibus paterentur dæmones, illas etiam ab iis corrumpi poſſe & contrario modo lædi. Verùm, ut ſolùm

*Frigida cum calidis pugnant, humentia ſiccis,*
*Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus:*

Ita ſolis qualitatibus contrarietas, non ſubſtantiis ab Ariſtotele & Philoſophorum Scholâ adſignata eſt. Tandem, quis eſt, qui aſſerat ſe hoc illove modo, his aliisve remediis naturalibus dæmonis noxas depuliſſe, niſi Spiritu Dei & verbo divino?

Certè ut hæc evidentia ſunt & in Theologorum Philoſophantiumq; cætu approbatiſſima; ita non pauci in Medicorum conſeſſu reperiuntur, qui non ſolùm actionem in dæmones; ſed & eam excellentiſſimam tribuant rebus naturalibus. Idq; ſi non adeò decantatis rationibus ſtipat: attamen experientiâ probant. Quis enim non videt ſuffumigiis, amuletis, periaptis & ſimilibus ſæpe fugari morbos à dæmoniis & eorum aſſeclis inflictos? produco vobis inter herbas ex Dioſcoride Rhamnum, Scillam & Artemiſiam, ex



ex Ovidio Spinam albam

*quæ triſtes pellere poſſet*
*A foribus noxas*

& arbuteas frondes, ex Plinio & Galeno Pœoniam, ex Ariſtotele Rutam, ex Ariſtotele & Plinio Hypericon, quod ideò apud recentiores hodie fuga dæmonum appellatur, ex Propertio & Horatio Verbenam, quæ & Dioſcoridi ſacra dicitur, ex Sereno allium, & ex Arnoldo Bryoniam & Eryngium, de cujus radice confidenter tradit, ſi ſub veſte dæmoniaci ponatur, dæmoniacum confeſſurum, quis & quid ſit, & unde ſit & effugiturum. Sed cùm hujus rei fidem penes authorem relinquere tutius ſit, recitabo ſolùm hiſtoriam illam de Eleazaro à Joſepho hiſtoriarum ſcriptore antiquiſſimo inter geſta Salomonis lib. 8. antiquitatum c. 2. conſignatam. Ejus verba ſic ſonant: Vidi etenim quendam Eleazarum de gente noſtrâ præſente Veſpaſiano & ejus filiis & tribunis, alioq; ſimul exercitu, curantem eos, qui à dæmonibus vexabantur. Modus autem Medicinæ fuit hujuſmodi. Intulit naribus ejus, qui à dæmonio vexabantur annulum, habentem ſubter ſignaculum radicem à Salomone monſtratam: deinde dæmonium per nares odorantis abſtraxit, & repentè cecidit homo, &c. Hactenus Joſephus. Jam ad lapides accedo. Horum in veſtigatione tanta naturę myſteria latere deprehenſa ſunt, ut vel legentem vel videntem ea ad ſtuporē perducant. Nonne enim Cyanus lapis ſeu Turcoſia gemma, vel palleſcit ubi geſtanti periculum imminet ſeu ſanitatis ſeu alterius caſus; vel rumpitur, ubi geſtans fædâ & illicitâ Venere utitur? Nonne Gygis annulus geſtantem lapidis incluſi beneficio inviſibilem reddidit? Nonne aliæ gemmæ alias poſſident virtutes, easq; inſignes, ut vel crediderit & adhuc dum credat pia doctorum Schola, duo-

la, duodecim illas gemmas ſummi Sacerdotis amictui inſertas Exodi 39. non ad ornatum modò & magnificentiam, aut depromenda inde oracula, quæ Urim & Thummim vocabant, ſed ad depellendas quoq; omnes virulentas noxas à Sacerdote ſummo, geſtari imperatas eſſe.

Sardius primus erat in veſte Sacerdotali, & hic juxta Baccium potens eſt contra veneficia amuletum. Chryſolitus itidem maleficiis obeſſe perhibetur, unde Marbodeus Gallus de ipſo ait

*Eſſe philacterium fixus perhibetur in auro*
*Contra nocturnos fortis tutela timores,*
*Pertuſus ſetis ſi trajiciatur aſelli*
*Dæmonas exterret.*

Idem de adamante judicium perhibet quod

*Noctis lemures & ſomnia vana repellat*

& de Corallo quod

*Vmbras dæmonicas & Theſſala monſtra reſolvat.*

ut jam taceam quæ alii de Smaragdo lapide, Ætite & Selenite aliisq; precioſis gemmis non ex infimâ doctorum ſede ſcripſerunt.

Inter animalia vero eſt & Chamæleon contra veneficia celebris juxta Willichium, juxta Ponſeum Aſini ſylveſtris ungula, & roſtrum lupi. Item Vulturis & Sargi piſcis fel, quo & pertinet ille piſcis quem Tobias junior ad fluvium Tygrim cæpiſſe legitur, maximaq; eruditorum pars Callionymum ſeu Uranoſcopum fuiſſe cenſet, de quo habetur, quod cor & epar ejus habeant poteſtatem convertendi dæmones in fugam. Etſi vero liber Tobiæ non eſt in Canone, nihilominus quia creditur eſſe ſcriptum pium & antiquum, vel ex eo ſolum demonſtrare quis poſſet etiam antiquiſſimis temporibus opinionē inter literatos fuiſſe, eſſe





in naturâ quædam Dæmoni malo inimica. Alia hîc quoq; ex mineralibus & metallis deſumpta; item compoſita quædam recenſere poſſem: Sed ne excreſcat iſta oratio, accedam ad argumentorum utrinq; poſitorum ſolutionem, & deciſionem, dicámq; breviter, quid in hoc opinionum concurſu mihi videatur.

Primò itaq; agnoſco, magnam eſſe Diaboli poteſtatem; at eam infinitam eſſe eo inficias. Dices: nec infinitam reperiri in naturalibus potentiam, quæ finitam quidem, at maximam dæmonis & infinitæ proximam excedat? Verùm reſpondeo: Diaboli poteſtatem, ut finita eſt, ita neq; maximam eſſe. Credendum enim eſt, Diabolum malitioſiſſimum quidem eſſe & ingenioſiſſimum, milléq; artium artificem, at non potentiſſimum. Cùm enim è cœlo in cæcum & tenebricoſiſſimum inferni barathrum ſit deturbatus, jam minor cæpit eſſe omnibus creaturis, in quibus præſentem Deum quælibet herba refert, ipſe vero Dei expers eſt; unde ob illam impotentiam, cùm ne ſine Dei permiſſu porcos intrare poſſit, aut capillos noſtros lædere, Germanico proverbio non ineptè homo magnæ malitiæ at parvarum virium appellatur, **ein armer Teufel**. Torquebit vos auditores axioma illud, quòd materiale non agat in immateriale? Si jam cum Chymicis loqui vellem, & abſtruſioris naturæ myſtis, proferrem ſententiam vobis novam: Nihil ſcilicet reperiri immateriale ſimpliciter in rerum naturâ præter Deum ipſum. Hic enim uti per ſe abſq; ullo præexiſtente ab æterno eſt & exiſtit, ita ſolus materiæ omnis erpers eſt. At creaturæ reliquæ omnes præter materiam primam, quæ ex nihilo facta eſt, ex præjacente aliquo creatæ ſunt, atq; ideo materiæ omnis non expertes cenſendæ. Cum Chymicis loquor, qui propterea Angelos ex puriore igne creatos aſſe-

runt, quod vel actio videndi in puero Heliſæi ab omnipotente elevata approbare poſſet, qui ipſos igneos vidit, atq; ii ſcripturæ textus, in quibus Angeli boni ſtellæ matutinæ, & Diabolus Lucifer appellatur. Neq; tamen inde ſequeretur ipſos fore corruptibiles ſi habeant materiam. Nam & cœlum immateriatū non eſt, neq; tamen ſecundùm Philoſophos quoſdā corruptibile. Imò Adam, quòd ex puris elemẽtis erat conflatus omnimodè ſibi correſpõdentibus mediante arbore vitę incorruptibilis erat futurus; ut taceā, non materiæ quâ tali, ſed inæquali ejus cùm formâ nexui corruptibilitatem tribui, impurioriq;. Vel ſi non hoc? Ecquid abſurdi eſſet creationis ratione Angelos, quâ potentiam deficiendi à luce & veritate corruptibiles creatos, cùm & noſtri Theologi labiles creatos aſſerant, atq; deinde defectus Luciferi à Deo extremam corruptionem Angelicarum qualitatum demonſtraverit. Sed ut hæc Chymicorum dogmata non à quovis libenter approbantur. Ita alio modo dico. Actionem materialis in immateriale poſſe dupliciter conſiderari, vel prout dirigitur in ipſum immateriale eſſentialiter conſideratum, atq; ſic actionem primariam & directam nullam adſcribo rebus naturalibus ut naturalibus; unde & Salvator noſter ait: hoc genus Dæmoniorum non ejicitur niſi jejuniis & precibus: vel prout dirigitur in operationes ab immateriali causâ profectas; atq; ſic dico confidenter, quòd etiam res quædam naturales primariò & directè agant in effectus ab immateriali cauſa procuratos. Manifeſtum hoc eſt ex Sagarum confeſſione, quæ vel omnes unanimiter confitentur, ſe Diabolica veneficia inferre hominibus hoc illóve à Diabolo ſibi porrecto veneno, unde cùm ille velut experimentatiſſimus veterator naturas venenorum, eorumq; compoſitionem exactè noſcat & effectus, atque ea ad veneficia ſuppeditet, nemo ne-



gare poteſt cuilibet veneno ſuum Alexipharmacum natum eſſe; atq; ſic etiam diabolicis contrairi poſſe. Quia vero illorum venenorum cognitionem nemo facile aſſequitur, hinc fit ut medela ſæpè non ſequatur, quæ tamen non cognitio non tollit rei exiſtentiam. Deinde certum eſt in rebus naturalibus etiam virtutes latere immateriales, quæ proinde contrariarum immaterialium actiones infringere aut inhibere poſſint. Produco ex aliarum qualitatum ſerie vel ſolam lucem, quæ à Phyſicis immaterialis nuncupatur, & multis rebus, utpote hominibus, herbis & lapidibus ineſt, prout inſigni tractatu de luce animalium prodidit Bartholinus, ſi jam eam attendo, video in luce eſſe quid occultum Dæmoni inimicum, ut propterea appelletur Spiritus tenebrarum. Quis ergò vel dubitet in iis rebus in quibus inſignis quædam & clarior lux apparet, latere vim adverſandi Dæmonibus. Unde jam videor aliquo modo cauſam attigiſſe cur Smaragdus Adamas & herbæ quędam lucẽtes Dæmonibus obſint, ſcilicet, quia lucis eximioris radiis à creatore ſunt exornata. Addo Luci Sonum & Muſicæ ſuavitatem, de quâ tanta & tam admiranda referuntur ab Autoribus, quanta vel nullus hominum crederet, niſi experientia fidem faceret. Recenſet Michaël Papa in ſuâ arte Medicâ & libro de rebus mirabilibus, Delphinos, Elephantes, Cancros marinos, equóſq; indomitos & ſylveſtres, varioſq; piſces Muſicæ ſono delectari & capi, oves & agnos in Arabiâ pingueſcere, camelos & cervos vires recuperare amiſſas. Voce Crocodilos, & iſtius repercuſſi ſoni beneficio, quem Echo vocant, apes fugari: Fiſtulæ ſono equos ad Venerem incitari, fontes item Solis calore defectos, puræ & intaminatæ virginis cantu muſicisq; inſtrumentis reductos. His item ex ligno juniperino, vitis, aut

cervi oſſibus fabricatis viperas & ſerpentes aliaq; noxia animalia fugari. Neq; minùs de eâ produnt Ælianus, Athenæus, Seneca, Alex. ab Alex. Julius Bellus & alii, quòd Pythagoras, Æſculapius, Timotheus, Iſmenia & Thebanus Muſicæ peritia etiam in hominum animos imperium obtinuerint, amoris incendia reſtinxerint, iras & odia, aliasq; animi perturbationes ſedarint, podagram, nephritidem, inſultus dæmonis & ſpectra, ipſamque peſtem profligare, omnemq; melancholiæ noxam depellere potuerint, prout quoq; apud Agrippam *lib. 2. de occulta Phil. legere eſt.* Quod ſi ergò in animum hominis perturbatum, qui & ipſe immaterialis eſt, occultam obtinet & divinam potentiam Muſica, ut eum mille modis variare placare atq; emendare poſſit, quis non etiam cõtra Dæmonem, à quo iſtæ animi perturbationes, ſæpè valere aſſereret. Quò referri poteſt, quòd Saul nõ prius deſierit à malo Dæmone vexari, quàm pulſatâ Davidis cytharâ, Eliſæúſq; Spiritu vatidico impleri cæperit adducto citharædo. Quorum effectuum accuratas cauſas etſi indagare nequeamus, non tamen inde ſequitur, illos ſtatim à ſupernaturalibus evenire, cùm non ſtatim naturale eſſe deſinat cujus cauſam nos miſeri homines & in luce meridianâ cæcucientes adhuc, non animadvertimus. Porrò Dæmon ſæpè inflatu aëris maligni, vel aëre frigido conſtipando poros, perturbat, exſiccat, incendit & confundit humores, unde ſanguinis corruptio, rerum inſolitarum generatio, phantaſiæ perturbatio, rationis & mentis læſio exoritur; ille item ſummâ velocitate utens atq; celeritate, applicando activa paſſivis, non advertentibus hominibus aciculas, ſtuppas, clavos & id genus infinita corporibus vel infert vel in iis producit: unde ſi hoc, nihil obſtabit, quò minùs cum Medicorum clariſſimis cenſeam, ea quoq; naturalibus remediis, puta humorum colluvie ex-



turbata, ſanguinis emendatione atq; corpore ad ſymmetriam iterum perducto curari poſſe. Remedia recenſet Carrichterus, & exemplum ſic vexatæ & remedio ex viſco colurno curatæ puellæ ad illius præſcriptum proponit Henricus ab Heer Medicus Leodienſis, quibus qui volet adjungere poteſt Paracelſum, Platerum, Sennertum, Agricolam & alios. His ſic poſitis jam apparet fruſtrà proponi illam objectionem: Nullam eſſe proportionem inter materiale & immateriale: corruptibile & incorruptibile. Cùm enim proportio ſit ſolius quantitatis, hinc nos extremorum agentium proportionem non aliter quærimus, ſi modò proportio nominanda, quàm in ſimilitudine & diſſimilitudine virtutum, in quibus actio fundatur. Ultimò addo Dæmonum malitiam cõſiderari, vel univerſaliter, vel particulariter. Illo modo reſpicit totalem hominis, puta animæ & corporis perniciem: hoc modo determinatam quandam ad peculiare malum, puta morbum infligendum propenſionem. Illi malitiæ univerſaliter conſideratæ ſolus Deus reſiſtere aptus eſt, atq; qui Deo per fidem confidunt: Huic in herbis etiam & lapidibus virtus adverſa reperitur, quod experientiâ probavimus: Finio hinc cum Celſo: Fruſtrà in contrarium afferri rationes, ubi rei fidem experientia facit.

INter hæc, non aliter, quàm etiam in Promotione Juridicâ, nomine Dn. Doctorandi ſuperiorem aſcendebat cathedram Vir Juvenis nobiliſſimus & literatiſſimus, DN. EVERHARDUS FABRITIUS, VIRI MAGNIFICI & NOBILISSIMI, DN. PHILIPPI LUDOVICI FABRITII, J. U. D. CANCELLARII & CONSILIARII HASSO-DARMSTATINI intimi FILIUS, paternarum virtu-

virtutum æmulus, Dominoq; Promotori, oblato libro & chirothecarum pari, gratias agebat, pro eo laboré, quem hactenus in promovendo Candidato ſuſcepiſſet, additâ ulteriori petitione, vellet actum illum ad finem uſq; exoptatum porrò perducere. Quo facto, ſic porrò Promotor:

NIhil itaq; reſtat, Clariſs. Dn. Licentiate, quàm ut debitum brabeium conſequaris, Medicinæ Doctor creeris, creatus renuncieris, renunciatus proclameris & ab omnibus pro tali te habendum & agnoſcendum eſſe publicetur. Quàm lubens vellem, ſi poſſem! Impetrari enim hoc ſummum beneficium oportet à Principibus Illuſtriſſimis & Celſiſſimis, Dn. Ludovico & Dn. Georgio Haſſiæ Landgraviis. Ad veſtros itaq; pedes, Illuſtriſſimi, Celſiſſimi Principes & Domini, Domini Clementiſſimi, præſentem Licentiatum mitto, ut ſupplex voce mea rogitet, quo Cæſarea & Principali Autoritate mihi Promotori concedatis, præſentem ad genua provolutum Dn. Licentiatum Tackium in Medicinæ Doctorem promovere, creare, renunciare, hoc ipſo ſumma gratiâ & beneficio Veſtris Celſitudinibus nos denuò devincietis arctiſſimè.

## *RESPONSIO,*
## SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DN. LUDOVICI, Haſſiæ LANDGRAVII, &c.

*NOn video, quî petitionem tuam tibi denegem, cognitâ jamdum Candidati hujus facundiâ & eruditione. Quapropter ex Autoritate Cæſareæ Majeſtatis, & honorandi Domini Patris mihi cum Fratre amando nunc conceſſâ, Tibi Promotori facultatem damus, ut huic Candidato omnia privilegia ac honores Doctorales conferas, eumq; Doctorem, uti deſiderat crees, in Nomine Patris, Filii & Spiritus S. Vota pro proſpero Academiæ ſucceſſu toto pectore iterantes.*



*His dictis, ita perrexit Dn. Promotor.*

MAgnæ debentur gratiæ Veſtris Celſitudinibus, quarum loco denuò pedibus veſtris, quicquid in nobis eſt obſervantiæ & cultus, ſubmiſsè ſubſternimus.

POſtquàm itaque, Auditores omnium ordinum Honoratiſſimi, ab Illuſtriſſimis Principibus mihi ἐξουσία data eſt, promovendi præſentem Dominum Candidatum, nihil ſupereſt, quàm ut miniſter Academiæ formulam juramenti legat & ad propoſita capita religiosè jurare Dn. Licentiatum ſeriò jubeat. Clarè itaq; & perſpicuè tu Miniſter Academice lege juramentum, ut ad id religiosè juxta ſtatutorum normam, præſens Dominus Licentiatus juret.

## *FORMULA JURAMENTI MEDICI.*

PRiuſquàm, Clariſſime Dn. Doctorande, ad ſummum Doctoratus gradum in Medico ſtudio admittaris, atque inſignia Doctoralia conſequaris, te capita jam prælegenda, pro fide tua ſanctiſſimè obſervaturum, adhæc Academiæ noſtræ ſceptra jurejurando affirmabis.

Primum

Primùm, Te Sereniſſimum & Celſiſſimum Principem ac Dominum, Dominum GEORGIUM Heſſorum Landgravium, Comitem in Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Iſenburgo, Budinga, Principem ac Dominum noſtrum Clementiſſimum, & Serenitatis ſuæ ſucceſſorem; Itemq; Senatum Academicum, ad extremos uſq; vitæ dies prædicaturum, debitóq; honore affecturum, adeóq; Univerſitatis incrementum & commodum ubivis gentium fideliter procuraturum eſſe.

Deinde te Artem Medicam ſine omni obſcœnitate & ſpurcitie honeſtè, caſtéq; tractaturum, nemini morbum prorogaturum, nec quoquo modo cuiquam in cujuſquam gratiam nociturum, gravidis circumſpectè & conſideratè medicaturum, nec alicui ex his medicamenta fœtum aut interficientia & excutientia, aut ſterilitatem in utroque ſexu inducentia, exhibiturum, nec in medicando à canonibus & methodo uſitatæ doctrinæ diſceſſurum, nec, ſi de morbo aut remediis dubitaveris, judicio privato cum periculo ægrotorum, non conſultis vel adhibitis prius Doctoribus aliquid experturum, nec lucrum ex pactione intruſione vel viſitatione aliorũ aucupaturum, ſed in honeſto liberóq; honorario, pauperum ſemper rationẽ habendo, acquieturum. Nec cum pharmacopolis eorum avaritiam alendo colluſurum, ſed medicamenta ſelecta, & rectè præparata exhibiturum, diſcendi etiam curam & librorum inſpectionem non depoſiturum, nec alibi repetita promotione, eadem inſignia Doctoralia ſuſcepturum, deniq; in facienda Medicina omnia ea, quæ Hippocrates in jurejurando, & in libro de Medico requirit, præſtiturum.

*DICAT; PROMITTO.*

Quod



QUod igitur auſpicatò fiat, Deóq; imprimis gratum, Reipublicæ ſalutare & proximo utile ſit, Ego D. JOHAN-DANIEL HORSTIUS, Profeſſor Medicinæ & Archiater pro authoritate Cæſareâ & Principali mihi conceſsâ ex decreto totius Academiæ, Te JOHANNEM TACKIUM Sacræ Medicinæ Doctorem creo, creatum renuntio, renunciatum proclamo, tibíq; docendæ, exercendæq; Medicinæ poteſtatem unà cum privilegiis & immunitatibus publicis, Doctoribus Medicinæ ubivis terrarum autoritate Cæſareâ conceſſis ampliſſimam facio, *In nomine S. S. Trinitatis, Patris, Filii & Sp. S. Amen.*

AScende itaq; Dn. Doctor, conſcende inquam in cathedram hanc ſuperiorem; poſtquàm enim inſignia Doctoris accepiſti, ſupereſt ut ipſe doceas & artem noſtram diligentiâ tuâ illuſtres. Superior enim hæc cathedra non cuivis, ſed illis tantùm conceditur, qui labore & ingenio publico docendi munere funguntur. Tua itaque profeſſio eſt non otioſa dignitas, ſed labore, ſtudio atq; induſtria exornanda.

Librum trado apertum, Coum noſtrum, cum feliciſſimis commentariis, hunc verſa nocturna manu, verſaq; diurna. In nullius tamen Magiſtri verba unquam jura ſervili ingenii imbecillitate; quâ de causâ claudo librum, tum ut proprio rationis lumine diligenter in aliorum placita inquiras, tum etiam ut illam promtitudinem tibi comparare ſtudeas, quo libris etiam longè remotis, id quod tui officii erit, alacriter peragere poſſis.

Unde pileum etiam tibi impono, ad pileum enim vocaris, debes namq; liber eſſe, nullius verbis anxiè addictus, nec facies ex intellectu tuo mancipium alienæ libidinis, libertatis



bertatis

bertatis enim & nobilitatis ſignum tibi pileus jure meritóque conceſſus.

Fidei porrò typum trado annulum. Itaq; hoc annuli hieroglyphico cogita, quaſi arrhæ interventu deſponſatam tibi eſſe Medicinam, cui fovendæ, propagandæ, nihilo minori quàm conjugali fide obſtrictus eſſe debeas. Rotundus annulus monet te rotundum eſſe virum, bonum ſcilicet virum ad quoſvis vitæ caſus, ad utrumq; paratum, quo nomine etiam oſculo te denuò in Medicam civitatem recipio.

Quid verò faces? Splendorem tuum annunciant. Splendeat lux tua, ut omnes intelligant ab inſcitiæ tenebris te eſſe longè remotiſſimum. Et ut cera tœdas accenſas temperatiſſima ſua qualitate nutrit & conſervat; eſt enim ut noſti, cera in excedentium qualitatum medio, qua de cauſâ calidis frigidisvè medicamentis quàm optimè miſcetur. Ita tu animi affectus inhibeas & actiones tuas ad ejuſmodi mediocritatem reducas, ut variis ægrotorum ingeniis optimè accommodentur. Non enim parùm moleſtiæ devorandum eſt Medico, cùm non rarò tam animo, quàm corpore laborantes ægri ſeſe offerant. Quo autem promtius ipſum perficias, frequens accedat exercitatio cum ratione inſtituta. Ubi enim ex præſcripto rationis & methodi quod officii ratio requirit præſtitum à te, adeóque lumen tuum in aprico accenſum fuerit, invidiæ tela nihil curabis. Ut enim culices & muſcæ confeſtim è tenebris ad flammam tædarum proſilientes ſe ipſas interimunt, ſic etiam invidia tandem ſibi ipſi venenum redditur. Cùm verò tæda ſi inclinatur deorſum, extinguatur, eo ipſo nutrimento quo alias conſervatur: Proinde Deum rogo velit tibi nunquam deeſſe, ne ingenii lumen obſcuretur ullis mediis,



mediis, ex animóq; bene precor, ut honore hoc jure meritóq; tibi collato diutiſſimé feliciſſiméq; tibi frui contingat, in nomine illius, qui Trinunus cuncta moderatur, cui ſit gloria in ſeculorū in ſecula, Amen, Amen.

FInierat Vir Nob. & Experientiſs. DN. JOHAN-DANIEL HORSTIUS, Med. Doctor, *Promotor Med. Fac. excellentiſſimus*, cùm novorū Doctorum nomine Gratiæ agendæ reſtabant, proinde JOHANNES TACKIUS, recens creatus Medicinæ Doctor nomine ſuo & cæterorum, ita loqui, atq; DEO, Imperatori, Principibus, omnibúsq; & ſingulis præſentibus, præſentiſſimâ oratione gratias agere cœpit.

# GRATIARUM ACTIO,

Recitata

à JOHANNE TACKIO,

S. Med. Doct.

JAm demum intelligo. PP. exules hactenus Muſas patriam inveniſſe. Jam video, Apollinem ſibi elegiſſe Parnaſſum, atq; totius orbis cum admiratione, jura & leges de tribunali ſuo iterum promulgare velle. Quoquò verſum enim meos circumfero oculos, iſtius rei gratiâ plena omnia video animorum, plena omnia felicitatis & lætitiæ, ut vel non recordari, vel penitùs præteritorum, quos hactenus Patria perpeſſa eſt, laborum, oblivíſci juvet. Haud ita pridem enim, cruenta Martis facies æternum indicere videbatur ſilentium Muſis, Gratiísq; omnibus: At nunc in conſpicuo

ſpicuo eſt, quanta cum gloriâ & ſtupendo futuræ literariæ rei emolumẽto, è latebris in lucem, ex alto mari in terram, ex turbis ad quietem, ab exilio in patriam, è ſervitute ad libertatem devenire, horribiliq; Martis & Bellonæ caſu, emergere & in apricum prodire cæperint. Quid enim ex tantorum Principum præſentiâ, veſtrâ inprimis, Sereniſſimi, Celſiſſimiq; Principes ac Domini, DOMINE LUDOVICE, & DN. GEORGI, fratres Germani, Haſſiæ Landgravii, hoc in literatorum conſeſſu, licebit colligere aliud, quàm Muſis ſuum Apollinem, ſuos comparuiſſe patronos? Quid iterum ex aſſidentium Muſarum collegio, aſtantium hominum frequentiâ atq; turbâ dijudica vero aliud? quàm exules & fere tranſportatas Muſas ſub auſpicio & vexilio Phæbi ſui iterum militare, atq; pro legibus dimicare velle. Quid deniq; hæc Cathedra, hæ faces, hi tituli, hæ coronæ diverſum ſentiunt, quàm ſapientiæ cultoribus ſuos honores, ſua rediiſſe præmia. Concurrit, ecce! iſtius inopinatæ felicitatis gratiâ, urbs hæc univerſa, exteriq; cum civibus applaudunt; Gratantur ſenes cum juvenibus, accolæ & incolæ tripudiant, certatimq; ſua vota miſcent, pro ſalute Principis totiúſq; Haſſiacæ familiæ, cujus imperio & arbitrio iſthæc ſtat Academia, quæ neq; ipſa cum ſuis membris tacere videtur: ſed pio affectu laudes ſummi inprimis Jehovæ, atq; deinceps veſtra ô Principes decantare merita, non aliter quàm olim Rex ille & Propheta: Etiam paſſer invenit domum, & hirundo nidum ſibi, in quo ponat pullos ſuos, altaria tua, ô Jehova exercituum, rex mi, & Deus mi. Neq; abs re. Dum enim inquiro, cujus poteſtate hæc eveniant omnia? Cæteris ſepoſitis jubeor oculos, mentemq; elevare meam ad montes, Jehovam dico, qui in altiſſimis habitat, cujúſq; juſſu hoc univerſum ſtat & regitur. *Ad Deum Trinunum.* Ille, ut univerſi orbis ambitum, atq; ea, quæ in eo habitant, ex nihilo formavit: Ita nobis vitam, nullo noſtro merito, largitus eſt. Ille Pater, altor & conſervator noſter ab æterno extitit, ille tandem, poſt hoſtium cruentatas acies, pacem nobis dedit liberator & aſſertor noſter. Ille Eccleſiarum nutritor uſq; huc teſtimonia ſua conſervavit nobis, habitaturus in æternum inter nos, ubi fædus ejus, & ſingula, quæ præcepit nobis, obſervaverimus. Tibi ergo, *ô Pater, Fili & Spiritus Sancte!* totum hoc, quicquid hodiernâ die univerſi ſumus, acceptum referimus ſoli. Et quibus verò verbis iſtam ſanctam Majeſtatem tuam & clementiam celebrabimus aliis, niſi quibus divinitas tua laudari & extolli, in verbo tuo, voluit. *Tu enim ô Jehova bonus es, quia in æternum miſericordia tua. Tu Deus es Deorum, & in ſeculum eſt miſericordia tua. Tu Dominus Dominorum, quia in perpetuũ miſericordia tua. Tu qui facis opera mirabilia & magna ſolus, quia in æternitates benignitas tua. Tu qui feciſti cœlos intelligentiâ tua, quia in ſempiternum miſericordia tua. Tu expandiſti terram ſupra aquas & feciſti luminaria magna, quia infinita beneficentia tua. Solem, ut diei, Lunam & Stellas, ut nocti præſint, quia in ſeculum ſeculi clementia tua. Tu qui nos ab inimicis noſtris aſſeruiſti, quia ſemper durat miſericordia tua.* Et quid porrò? præter infinita alia, quæ toto orbe diſtribuiſti bona, iſta adumbrabo ſaltẽ, quæ ſolùm nobis uſq; huc profuſiſſimè è penu tuo inexhauſto depromſiſti. Tu vitæ fons & origo Illuſtriſſimum & Celſiſſimum Patriæ noſtræ Patrem, tu Conjugem Principem, tu liberos omnes uſq; huc vivere voluiſti. Tu illum intricatiſſimis negotiis extricaſti, illam & hos ſalvos præſtitiſti. Tu à milite velut tempeſtate obrutam patriam reſpirare, atque variis motibus inquietatam quieſcere tandem voluiſti. Tu virtutum ſeminarium penè ſuffocatum germinare iterum feciſti,

feciſti, atq; novam hanc Academiam, in qua pleriq; atque optimi Patres Dei ſolius miſeratione conſervati conſtantes adhuc & à Principis ſui fide nequaquam deflexi incolumes perſtant, inſtauràſti, hodiernâ diem ſolennitate hâc deſideratiſſimâ beâſti, atq; novo nos titulo condecoraſti. Quid ergò dicemus in tantorum beneficiorum commemoratione aliud? niſi ut laudes tuas ingeminemus porrò, iterúmq; exclamemus: *Cantate Domino canticum novum, quia opera mirabilia fecit. Salutem attulit ei dextra ejus, & brachium ſanctitatis ejus. Notam fecit Jehova ſalutem ſuam, ante oculos gentium revelavit juſtitiam ſuam. Recordatus eſt benignitatis ſuæ, & ſuæ fidei erga domum Iſraelis. Vident omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri. Clangite Iehovæ omnes terræ; fragore edito cantate & pſallite. Pſallite Iehovæ Citharâ & Pſalmodiâ. Tubis & ſono buccinæ clangite coram Rege Iehovâ. Perſtrepat mare & quæ implent ipſum. Orbis habitabilis, & habitantes in eo. Flumina complodant manu, pariterq; montes cantent. Quia tuum ô Domine eſt regnum & potentia & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

Nunc dum Academiæ huic novæ ſacrum hunc diem & feſtivum eſſe voluiſti. Te veneramur ſupplices non aliter, quàm olim ſapientiſſimus mortalium in inauguratione Templi Hieroſolymitani, ut oculi tui ſint aperti ergà Academiam hanc, noctu & interdiu, eámq; ab omni vaſtitate, clade, iisq; omnibus quibus miſeri homines ob peccata confici ſolemus, tueri ac liberare velis. Indue Sacerdotes ejus, & quibus ſapientia cordi eſt, ſalute tuâ, atq; docendi alacritate, efficeque, ut germinent univerſi. Sic porrò, uti decet, celebrabimus te Deum fortiſſimũ cœlorum, quia in omnes æternitates manet veritas tua.

*Ad Ferdinandum III. Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum.*

Poſt Deum immortalem, neq; hodierna dies reticeri aut obliterari ſinit laudes tuas, Potentiſſime, atq; Invictiſſime Monarcha, Sacratiſſime *Imperator*, FERDINANDE III. Cæſar



Cæſar Auguſtiſſime. At, quo nomine te laudem? an à belli gloriâ, pacíſve ſtudio? an à virtutis & literarum? quibus Majorum tuorum more caput extuliſti? Belli gloriam recenſeant alii; quibus hoc laboris incubuit hactenus, ut tot annorum facta geſtáq; ampliſſimis mandarent codicibus. Solum pacis & virtutis ſtudium hoc loco delineabo paucis. Quis non videt enim, Germaniam hactenus inſanum furentibus belli tonitruis & fulminibus oppugnatam, laceratam, concuſſam, & ſaltem internecioni non penitùs ſuccumbentem, tuo, ô Imperator Pacifice! labore, alacres velle reſumere vultus? Exiit profectò iſta nominis & pietatis tuæ fama per omnes orbis terrarum angulos, clamórque & nunc toto it cœlo, aureæ pacis, ſecuræ pacis, fraternæ pacis, togatæ pacis, exoptatę, diúq; deſideratæ, ô utinam & æternæ pacis! conditorem poſt Deum immortalem, vel ſolum extitiſſe hactenus FERDINANDUM TERTIUM; qui, ne periret Germania, pacem cum hoſtibus ferire maluit, quàm cruentis ſubditorum victoriis madidam belli lauream circumferre, ſatius exiſtimans ob CIVES SERVATOS æternitatis laudem mereri, quàm victorioſâ manu Germaniam majoribus implicare periculis. Contremiſcunt iſtius famæ gratiâ Inferi, domus ſuę Plutoniæ ruinam & deſtructionem ominati. Quis enim non animadvertit vel omnes Furias trepidare, commoveri, atq; ex orco evolantes Megaras, totumq; cum Styge & Phlegetonte Nigrapeplarum Eumenidum cætum, ad inſaniam uſq; & furorem pacis gratiâ agitari? At, dum videmus ardorem tuum, zelum tuum, pietatem tuam, in cives tuos, in Germaniam tuam, ô Imperator! jam certò credere cæpimus, Deum te Imperatorem his terris dediſſe, ut belli incommoda à nobis averteres, paciſq; conditor & Triumphator oleâ

oleâ redimitus exiſteres, majorque, quàm ut Erynnium ignes adhuc & incendia ſpumantium impietati ſuccumberes. Si jam ad virtutis ſtudium accedo, video Te, Imperator Sacratiſſimè! ad Sigiſmundi, Maximilianorum, Rodolphi ſecundi, FERDINANDI primi & ſecundi, aliorumque Imperatorum, Auſtriacis genitoribus ſatorum, exempla non accedere ſaltem, ſed & ſuperare illos. Per fidem! Si de ALEXANDRO MAGNO dubitat Plutarchus, utrum potiùs à Philoſophiæ ſtudio, an belli facinoribus laudandus veniat? Non exprobrabit mihi ſpero quiſpiam, ſi & ego, ſi non majorem in virtutum exercitio belli gloriâ, ſaltem parem dicam FERDINANDUM noſtrum, in quo pietas, clementia, humanitas, fortitudo, ſapientia & ſanctitas vitæ, tam arcto & quaſi ſororio connexa videre licet vinculo, ut vel mortalium peſſimus ſit habendus, qui tam ſanctum, tamq; venerabile caput, illum Dei unctum, uno vel verbo, vel geſtu violare auſit. Unde, ſi te, *ô Cæſar! appellavero more antiquorum Romanorum, vel Germanicum, vel Hungaricum, vel Dalmaticum, vel Bohemicum*, minus dixero, quòd hæc nomina Regiâ quidem fortunâ tuâ digna ſint, at inferiora, quàm ut meritis virtutum tuarum reſpondeant. Tu quoq; Academiam hanc Giſſenam olim à RODOLPHO IMPERATORE innumeris privilegiis ditatam, fortiſſimiq; atq; pientiſſimi Principis ac Domini, DN. LUDOVICI, Haſſiæ Landgravii curâ adornatam, nunc iterum confirmas, inſtituis, atq; efficis; ut hodierna lux tantò celebrior & clarior exiſtat, quantò tua Majeſtas præ cæteris mortalibus conſpicienda & veneranda venit. *Vive agedum Cæſar noſter, Auguſte noſter, FERDINANDE noſter, Domine noſter!* Deus te ſervet! DEUS his temporibus noſtris pacis hoc ſchema porrò ſecundet, ut multos adhuc in annos imperes Pacifici nomine



nomine, feliciter; ſicq; quadruplicis imple confinia mundi laudibus tuis, ut, quod Auguſti, idem tua ætate eveniat, id eſt, univerſi orbis pacatio & tranquillitas. Sic, *ô FERDINANDE!* Gloriam tuam ultra etiam Europæ, Aſiæque terminos imman: patentes proferes, & vel eo ſolùm nomine immortalis habebere, quod *Pacificus* fueris.

*Ad GEORGIUM II. Haſſiæ Landgravium Academiæ Reſtauratorem.*

Ad te jam converto Orationis meæ vela, *Sereniſſime, & Celſiſſime Princeps, ac Domine, Domine GEORGI, Haſſiæ Landgravie, Comes in Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhainâ, Niddâ, Iſenburgo, & Budingâ*, Domine clementiſſime, Evergeta Munificentiſſime. Quo verò Te honore afficiam Inclytiſſime Princeps, qui celſiſſimorum Natorum tuorum præſentiâ authoritatem huic Academiæ, cujus tu & Autor & Fundator hodiè exiſtis, conciliare voluiſti? Si tua benefacta, prout eorum ſeries expoſtulat, enumerare vellem, vel dies vel eloquium me deſtitueret prius, quàm ut illorum catalogum pertexere, aut eorum magnitudinem aſſequi poſſim. Cùm ex terræ motu *Coloſſus*, mænia, & Gymnaſium *Rhodiorum* cum Bibliothecâ corruiſſent, eo tempore, quo *Antiochus* contra *Ptolomæum* Ægypti Regem bella gerebat, ipſi tantum ſuâ apud Reges gratiâ valuiſſe feruntur, ut maxima ab ipſis munera conſequerentur, auri utputa & argenti talentorum multa millia, precioſiſſimos lapides, & optima ligna, quibus & urbem & Gymnaſium multò ſplendidius inſtaurarent. Vidimus & nos hactenus, iniquiſſimâ belli fortunâ, Haſſiæ coloſſum, Academiam noſtram, virtutum ſapientiæq; ſedem, unicum labaſcentis Eccleſiæ & Reipublicæ fulcrum, concuſſam, innumeriſq;, velut terræ motu quodam, calamitatibus preſſam, & agitatam. At, ut hanc infelicitatem Academia tantoperè non doleat, efficit hic dies, quo & auguſtiorem & ſplendidiorem tuâ munificentiâ

centiâ, ô *Magne GEORGI!* inſtituis Academiam. Scilicet, prout Solinus memorat, in *Mediâ* arborem reperiri, tantæ feracitatis, ut protinus, atque ejus poma ceciderint, alia ſtatim protuberent: ſic ſe habet animus ille tuus ad benefaciendum natus, ut ſtatim uno beneficio exhibito, aliud atque aliud addas. Per te enim ſtat hodie Academia Giſſena, per te hodierna die ſtamus novi Doctores hisq; coronis ornati incedimus. Per te hujus diei ſolemnitas, & totius urbis hujus, circumfuſarumq; latè terrarum exultationes exiſtunt. Hoc, prout toti Patriæ noſtræ, atq; univerſæ Germaniæ acceptatiſſimum opus eſt, ſic & DEO omnis ſapientiæ conditori gratiſſimum.

*Conferat (jam) tecum decus omne priſcum*
*Fama miratrix ſenioris ævi:*
*Clarior tantò tua forma lucet,*
*Pulchrior quantò micat orbe pleno,*
*Cùm ſuos ignes coëunte cornu*
*Junxit, & curru properante pernox*
*Exerit vultus rubicunda Phœbe;*
*Nec tenent Stellæ faciem minores.*
*Qualis eſt primas referens tenebras*
*Nuncius noctis, modò lotus undis*
*Heſperus, pulſis iterum tenebris.*
*Lucifer idem.*

Quid verò tibi rependemus, Princeps maxime! quæ dona feremus & munera, pro tuo, quem in nos hodie exeruiſti

affectu?



affectu? Certè, cùm præter vota in viribus noſtris nihil ſit, iſthæc tibi offerimus, ſed ingenua, ſed verecunda ac ſobria, non affectata, & improba, & ſpecie quidem magnifica, reipsâ inania & vacua. Sed, an vitam tibi vovebimus perpetuam? Profectò, ut eam humana non fert conditio, ſed ſolius prærogativa divinitatis eſt, ita, licet Principes participent quædam de iis, quæ ſuprà humanam ſortem ſunt, quia homines eſſe non deſinunt, hinc immortalitatem obtinere nequeunt. Proinde unanimi voto Te veneramur, ô DEUS immortalis! & à quo, & in quo, & per quem, ſtat & eſt vita noſtra, ut longiſſimâ Principem noſtrum vitâ beare velis, adderéq; perennitatem Domui huic Haſſiacæ, & incrementa feliciſſima, quæ nullis inſanioris fortunæ aut temporum injuriis inquietari aut debilitari poſſint. Tandem effice, clementiſſime DEUS, ut Princeps noſter, conſummatis humanæ felicitatis muneribus, hærede legitimo ſucceſſore, nihil habeat amplius, quod ſuis accedat meritis, præter cœlum ipſum.

Ad te nunc digredior *Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps, ac Domine, Domine LUDOVICE, Sereniſſimi Patris æmula ſoboles, Heſſorum inviolabile pignus,* *Ad Dominum LUDOVICUM, Haſſiæ Landgravium.*

*Et nunquam meritis ſat celebrande tuis!*

Quid verò memorem, num quæ tibi cæſia Pallas
contulit?——

aſt oculis ea tuis ſunt notiſſima, ex quibus & Principem vultum, & animum ſuprà communem mortalium conditionem elevatum, nihilq; non, quod virtutibus & gloriæ cupiditate non ſit eximium, prodis. Si enim retroactos annos, in quibus Præceptorum fide prima Principatûs tui ornamenta poſuiſti, pererro; certò affirmare poſſum, Te, ô Princeps! ſingulare atq; præclarum vitæ tuæ præſidium in li-

in literis inveniſſe. Cùm enim Principes eorum, quibus aliquando imperare debent, curam habere debeant, nihil exiſtimâſti reperiri poſſe, quod ad levandas moleſtias, quas ardua illa publicorum negotiorum moles aliquando allatura eſt, magis conducat, quàm præclara ingeniorum doctorum monumenta ſedulò contemplari. Et cùm in Principum dictis nihil leve, nihilq; parvum videri debeat, propterea quòd ad Principum mores populi regantur, nihil accommodatiùs tibi reputâſti, ad dignitatem tuam, ætatis ſucceſſu, illuſtrandam, quàm literarum cognitione tenerum animum firmare atq; polire. Vidit hanc tuam indolem non ſolùm Patria hæc Haſſia: ſed & varia orbis Europæi regna eandem admiratione quâdam ſuſpexêre nuper, cùm è patriis decedens laribus, quæ peregrinationis commoda & incommoda eſſent, experiri decreveras. Corporis etenim vigorem & animi tui dexteritatem admirabatur *Miſnia* & *Saxonia*, & cum lachrymis pietatem tuam perſequebatur harum Dominus, *Elector Avus*. Gratulabatur bello & Muſis aſſueta *Wittenberga*. Juventutem tuam adamabat *Megapolis*; venerabantur *Lubeca* & *Hamburgum*. Ardorem animi tui agnoſcebat *Holſatia*; æterno conjugii amabilis vinculo remunerabatur & compenſabat *Gottorpium*. Adventus tui fama præcedebat te in *Daniam*, per glacialem *Baltem*; at famam præſentia tua tantò majorem reddebat, quantò hæc illuſtrior erat in Regis conſpectu *Friderichsburgi* primùm, dein *Haffniæ*. Fretum Danicum tutum dabat ad *Scanos*, Sueonáſq; tranſitum. At illa vultus tui majeſtas, mirum! quàm *Suecorum Reginam* afficiebat, ut vel in hæc verba animi ſui penetralia ſolvere non erubuerit, *lætari ſe, quòd tantum ex Germaniâ Principem, quem & animi dotibus & eruditione ſingulari præditũ ſciret, coràm intueri, atq; cum eo ſermones miſcere poſſet*. Quid dicam porrò? redeuntem ab *Arcto Baltes* iratus quamvis, fluctuumq; efferâ mole ſuperbus, tutum tamen & ſalvum ſervabat navigium tuum, ut ſic reverteres cum tuis ad eos, quibus inſigne tui deſiderium reliqueras. Neq; ſic ſatis erat aſpera, & prægelida, navibusq; ſepulta Sueciæ montana ſuperâſſe, marísq; tempeſtuoſi furorem ſuſtinuiſſe, alia adhuc virtutis via calcanda reſtabat, proin ſalutatis Magni Soceri laribus ad *Saxonas* iterum pergebas, ſuperatisq; tum peſtiferæ *Bohemiæ* callibus, *Auſtriam*, ſed *Imperatricis* formoſiſſimæ & deſideratiſſimę mortem lugentem, intrabas. Verùm enimverò, luctu quamvis fere confectus *Romanorum Imperator Ferdinandus ille Tertius* placido Te tamen excipiebat vultu, ſicq; amabat, ut in Tuum, Haſſiæq; Principum honorem, primùm à luctu vacans, in campum conceſſerit, atq; propè *Eberſdorpium* ad venationis jucunditatem deduxerit, prægrandiq; & Imperatoriis manibus confecto cervo te remuneratus fuerit. Non memorabo alios inſignes honores, quos tot Principes, tot Regii Legati, Comites, & univerſa Imperatoris aula Tibi, ô Princeps! detulêre. Jam te ad illam orbe decantatiſſimam Rempublicam per *Styriæ* montana & *Adriatici* maris fluctus, *Venetias* inquam, animi ducebat alacritas. Jam per agrum *Hetruſcum*, *Romanæ arces & ſepticollis mœnia Urbis* vocabant, quorum magnificentiam ut oculis comprehendere ſatis non poteramus, ita in eâdem deſcribenda hoc loco ſuccumberem. Et quamvis ignotus *Italiæ* peragrares ſolum, & ne agnoſcereris, vel inter tuos miniſtros ſæpè locum caperes. Affirmare tamen poſſum, quòd vultus tui vivacitas te ſæpius prodiderit, atq; licet non habitu, venerationeq;, ſaltem oculis te Principem eſſe exteri cognoverint, prout omnes nos, quos tuo miniſterio Sereniſſimus Pater cle-

ter clmentiſſimè dedicârat, ejus teſtimonium adferre poſſumus. Sed iſta virtutis tuæ veſtigia quæ & *Apennini* & *Alpes* æternis nivibus candidæ agnovêre, neq; nunc in obſcuro, ad tuos reverſus, tenes. Videmus hodierna die, Te & Academiæ hujus inaugurationi, & novis noſtris honoribus gratulari velle, id quod ex illuſtriſſimâ tuâ præſentiâ humilimè agnoſcimus. Quid ergò tibi, ô Princeps! quid tuis feremus meritis? Non juvat communi more gratulari tibi, aut acclamare, prout olim acclamabant: De noſtris annis tibi Numen adaugeat annos; quaſi divina bonitas ad inopiam eſſet redacta, nihilq; largiri poſſet, quod non priùs ab aliis mutuaverit. Sed ex animo precor Deum vitæ & fortunarum, ut vitam tuam *Ludovice* ad ſeros uſq; ſenectutis velit proferre annos, ſine cruce, ſine calamitate, ſine ullis fortunę noxioris procellis, atq; efficere, ut *Haſſo-Holſata* Domus, Te mediatore & auſpice, vivat vireſcat & floreat in perpetuum. Intereà laudes tuas ſera etiam canet poſteritas.

*Lucida dum current annoſi ſidera cœli,*
*Oceanus clauſum dum fluctibus ambiet orbē,*
*Lunaq; demiſſos dum plena recolliget ignes,*
*Dum matutinos prædicet lucifer ortus,*
*Altaq; cæruleum dum Nerea neſciet Arctos.*

*Ad Dominum GEORGIUM Haſſiæ Landgravium, Iuniorem.*

Ordo Te tangit, *Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps, ac Domine, Domine GEORGI, altera Haſſiacæ noſtræ familiæ ſoboles maſcula, Princeps à Proavorum tuorum ingenio haud degener!* Quid verò referemus tibi, quòd & tua præſentia illuſtriſſimâ, & humanitatis pleno vultu, hoc Muſarum concilium illuſtrare ac brabeis hinc inde diviſis congratulari volueris. Profectò, plura, eáq; grandia tibi debemus, Sed antequàm tibi,



tibi; nobisq; ob hanc, quam modò confers gratiam, gratulari incipiam, quærere juvat, annon nupera, quibus præter alia Germanię loca, etiam Haſſia noſtrá conflictata eſt, bella, horumq; ſtudium, te à literarum conſortio & amore abſtrahere potuerint, ut pro pennâ bipennem, & tela pro libris, Muſarumq; clangore, tympanorum & turbarum ſonitus eligeres? Nam neq; mihi, neq; omnibus iis, quos præſens lux aſpicit, ignotum, quantâ alacritate *Equitum Magiſtri* munus obieris, atq; belli munia, nunc huic, nunc illi diſtribueris. Scimus quoq;, quàm tibi jucundum fuerit auditu, cùm hinc

*Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.*

Viſu, cum illinc: *Inſequitur nimbus peditumq; Equitumq; caterva.*

Profectò, prout belli gloria, & in hoſtes ſuos efferendi ardor, non minima mortalitatis laus eſt; ſic augere eam hodie voluiſti, dū in Parnaſſo quoq; ſedes, atq; Apollines artibus faves. Si enim olim vel hoc ſymbolo uſus es, aut uti potuiſſes. *Marte virtutem ſector.* Jam hoc paulùm auctum circumferre magna laude poteris. *Marte & Arte.* Namq; ſic & belli & pacis tempore in fama eris. Gratulor tibi ob hunc virtutis ſtimulum, nobisque omnibus, quibus datum eſt, ô Illuſtriſſime Princeps! hodierna luce, Te intueri tam ſereno eſſe vultu, nobisq; favente. Vivet, florebit, & nova ſic ſumet, incunabula, tuo etiam auſpicio, Academia hæc Giſſena, ut quicquid deinceps à poſteris gratum factu, auditúve acciderit, Tibi quoq; acceptum referatur. Vive ergò & Tu, ô Princeps! hosq; tuæ adoleſcentiæ annos, eâ quoq; gloriâ adimplere perge, quæ mori neſciet. Intereà te quoq; gratiſſimo ore venerabimur, laudesq; tuas canemus indeſinenter, vitam longævam, animi corporisq; vigorem & incremen-

crementum apprecaturi, indubitatò ſcientes, virtutis Te ſequuturam mercedem, quòd

*Nunquam ſtygias fertur ad umbras*
*Inclyta virtus: vivito fortis,*
*Nec lethæos ſæva per amnes*
*Te fata trahent: ſed cùm ſummas*
*Exiget horas conſumpta dies,*
*Iter ad ſuperos gloria pandet.*

*Ad Magnificū* RECTOREM *Dn.* JUSTUM FEVVRBORNIUM.

Quibus verò te laudabo verbis? *Vir admodùm Reverende & Clariſſime* DN. JUSTE FEWRBORNI, Theologorum in Germaniâ viventium ferè ſenior, & anteſignane excellentiſſime, cujus ſcripta & labores univerſi admirantur, corporis mentisq; vigorem non pauci; quemq; heri univerſa hæc Academia ex authoritate Sereniſſimi Celſiſſimique Principis, ac Dn. noſtri RECTOREM MAGNIFICUM creatum vidit. Sanè, ut meritis tuis reſpondere non poſſunt actiones noſtræ, ita, pro viribus noſtris, vovemus tibi vitam incolumem atq; diuturnam, mentis vigorem, nunquam deficientem, imò ut DEUS te exaudiat in tribulationibus, protegat te nomen Domini DEI Jacob, mittat tibi auxilium de ſanctuario ſuo, & de Sione tueatur te, atq; denique ut climacterico tuo hoc magno feliciter ſuperato, Academiæ huic & Eccleſiæ Chriſti militanti diu adhuc ſuperſtes & incolumis ſis.

*Ad Illuſtrem & Generoſiſſimum Dn. Dn.* GEORGIUM ERNESTUM, *Comitem ab Erpach &c.*

*Per Illuſtris, Generoſiſſime Comes, Domine Gratioſiſſime.* Magnum eſſe, magno loco naſci, ita quidem hodie verum eſt, ut qui priſcis temporibus in gloriâ fuêre & famâ, illorū quoq; Nepotes & Poſteri coli & in honore haberi debeant. At non ſolùm claris proavis naſci, ſed & virtutibus, quæ

natales



natales celebriores efficiunt, novum quendam eminentiæ gradum ſibi acquirere, id verò maximum, & quod omnem dignitatem excedat, cenſeo. Magnis his tuis natalibus, quæ *à Carolo uſq; Magno* derivantur, & ad octingentos & ultrà annos ſeſe extendunt ad hęc tempora, Illuſtris ac Generoſiſſime Dn. Comes, cēſuiſti hactenus amorem virtutis addere, dum nō modò ad *Caroli Magni*, aliorūq; exempla Principum & Comitum, qui ſæpè diſputationibus declamationibusq; interfuiſſe leguntur, & hodie noſtræ ſolemnitati intereſſe, ſed & tacitè nobis, collatisq; honoribus noſtris gratulari voluiſti. Scilicet, ut fortes creantur fortibus & bonis: Nec imbellem generant aquilę columbam; ita & Tu veſtigia Majorum tuorū ſecutus es. Maximas tibi debemus gratias *Illuſtris & Generoſiſſime Comes, Domine Gratioſiſſime*, pro iſto tuo gratioſo favore. At, ut in poteſtate noſtra nihil eſt, quod tuæ accedat fortunæ, præter animum gratum; ita eundem verbis modò conteſtamur, laudes tuas ſimul decantaturi, quæ ſolis utramq; domum adimpleant.

*Ad Dominum* HARTMANNUM *à* Schlitz / *dictū* Görtz / *Haſſiæ Pro-Principem.*

Salve & tu *Generoſe & Nobiliſſime Dn.* OTTO HARTMANNE à SCHLITZ, dicte Görtz, Haſſiæ Pro Princeps, ſidus Nobilitatis, & veræ virtutis typus, cujuſque conſilio innumera in Patriam redundâſſe novimus commoda. Quid verò referemus Tibi, pro illo favore tuo, quem nobis impendiſti, dum præſentiâ tuâ honoribus noſtris calculum & vota addere voluiſti? Certè, ut inſignem tuum in literas & literatos candorem exinde agnoſcimus: ita virtutes tuas, quarum ſplendorem hîc prodis, deprædicare non deſinemus. Quis enim nobilitatem tuam non laudaret, quā virtus ultra ſuos terminos extulit? quis iſtam vultus tui autoritatē non veneraretur, è quo rari, & non ubivis obvii ſcintillant animi generoſioris lucentes radii? quis deniq; te

 totum

totum non admiraretur, qui cum illa perſonæ tuæ gravitate blandam contemperatam habes humanitatẽ, ut dum illa metum, hæc tui amorem cuivis inculcare videatur? Vive agedum, & vale in Patriæ noſtræ emolumentum, quàm diutiſſimè, ut laudes tuas, quas & exteræ nationes novêre ſatis, nunquam morituras legat Oriens & Occidens, hocq; ſolo nomine immortalis ſis, quòd virtutem colueris.

*Ad Dominum PHILIPPVM LVDOVICVM FABRITIVM, Haſſiæ Cancellarium & Conſiliarium Principis intimum.*

Nunc ad te accedo, *Nobiliſſime & Magnif. Vir, Dn. PHILIPPE LVDOVICE FABRITI, Principis noſtri Cancellarie laudatiſſime*, quem & conſilio & prudentiâ Patriæ ſuccurriſſe hactenus ſatis novimus. Ecce dum tota Patria hæc Haſſia in laudes tuas conſurgit, univerſiq; cives fidelitatem tuam decantant, quid ergò ego hærerem, quo minùs ea, quæ tuis debentur meritis, benefacta recenſerem? Vidimus labores tuos in Patriæ periculis, proficuas cogitationes tuas in belli incommodis, prudentiam tuam in aliis neceſſitatibus, favorem tuum in literariam Rempublicam, quem & heri ſplendida & potenti eloquentia teſtatus es ad miraculũ, & hodie exeris, dum præſentiâ tuâ noſtris faves honoribus. Floreſce agedum, vireſce, & augeſce, ut Nobiliſſima FABRITIORUM Familia incrementum capiat feliciſſimum, tuq; poſt funera, quæ ſummus retardare ab alto velit, quàm diutiſſimè tuâ virtute ſuperſtes vivas.

*Ad Dominum IVSTVM SINOLD, cognomento SCHüTZ, Cancellarium & Conſiliariũ Intimum.*

Quid verò de te dicam, *Magnifice & Nobiliſſime DN. JVSTE SINOLD, cognomento SCHüTZ, Dicaſterii hujus & Academiæ Cancellarie, atq; Promotor Juridicæ Facultatis*, quid inquam de te dicam, quem hodie admirantur ſenes, ſuſpiciunt juvenes, laudant literati, audiunt Principes, extollunt Nobiles, veneratur *Pater Lanus*, Muſæq; & Gratiæ omnes amant? Scilicet, quod alii in Patriâ, id tu extra Patriam, in Patriæ tamen commodum præſtitiſti, ô verus Pa-

triæ



triæ Atlas! Fidem tuam cognovit Romanorum Impera-
tor; Conſtantiam tuam audivêre varii Regum legati. Te de-
prædicavit rapidiſſimus Iſter. Experta eſt labores tuos, & a-
lacritatem, animumq; imperterritum, Orbis compen-
dium WESTPHALICA MüNSTERA, & alia loca, quæ
toties Legatus acceſſiſti. Profectò, dum hos labores tuos
video, jam mirari incipio, unde iſtæ vires, unde tantum tibi
ſuppetat robur? Scilicet, ut nihil ſine DEI nutu fit, ita vel iſto
ſub pondere divinum robur in te agnoſco, ut, velut cœlum
ſuis humeris Atlas ſuſtinere creditur, tu quoq; Patriæ cu-
ram haberes & immotus perſtares. Ecce! laudes iſtas tuas
tota hæc Academia tibi non denegat. Neq; nos quibus ho-
die coronæ diviſæ ſunt, Tu enim effeciſti, ut hujus diei ſo-
lennitas tantò major extiterit, quantò tua facundia admi-
randa magis fuit. Augeat, ô! ſummus DEUS iſtud robur
tuum, tibíque & nobis, totique Academiæ te ſervet inco-
lumem adhuc quàm longiſſimè, ne te ruente ceſpitet Pa-
tria, hæreat Academia, doleant Principes, lugeant juve-
nes. Namque ſcias, unicum, quod vovemus omnes, hoc
eſſe, ut juventutis florem induas iterum, atque aquilæ in-
morem renovari incipias; utque te Cancellario Academia
hæc Giſſena floreſcat, vireat & creſcat in perpetuum.

*Ad Dominum ADOLPHVM EVTELIVM à NORDECK, Equitem Ordinis Teutonici, & DN. VLRICVM à BVSECK, Dicaſterii Giſſenſis Præfectum.*

Vos jam tango, *Viri Nobiliſſimi, & Strenui, Nobiliſſime & Venerabilis DN. EVTELI à NORDECK & RABENAVV, Haſſiacæ Ballivie, Teutonicique Ordinis Eques Strenue & Commendator in Schiffenberg. Nobiliſſime* item *& Strenue Vir DN. VLRICE EBERHARDE à BVSECK, Conſiliarie Principis & Præfecte laudatiſſime*; En! quòd veſtrâ præſentiâ actum hunc condecorare, atque clarum quoq; reddere volueritis, gratias muneris loco habete, & vota pro ſaute

T 2

& famâ

& famâ veſtrâ, quam precamur, ut prout nunc celebris admodùm eſt & conſpicua, ita porrò ſeſe extendat eousque, ubi ſol oritur & occidit.

*Ad Dominum HENRICUM HERMANNUM ab OYNHAUSEN.*

Nec te prætereo, Vir *Nobiliſſime & Strenue*, *Domine HENRICE HERMANNE ab Oynhauſen*, quem non ſolùm à longa Avorum ſerie Nobilitas extulit, ſed & virtus nobilitavit, Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis, ac Domini, *DN. LUDOVICI Haſſiæ Landgravii*, ejusq; actionum Director & Moderator, Vir magni ingenii, ſagacisque prudentiæ, quem tot Regna, Principatus & Ducatus viderunt incolumem, & horum Reges & Principes amârunt, quibus verò te verbis laudabo?

*Si mea per varios diſtorqueo lumina flexus,*

Non ineptè fortè Te Illuſtriſſimi & Celſiſſimi noſtri Principis ac Domini DN. *LUDOVICI Haſſiæ Landgravii*, Domini noſtri Clementiſſimi *Mercurium* dixero. Ille enim, ut Sapientiæ & Eloquentiæ pater eſt, atque totum terrarum orbem peragrare, iterque facientibus viam monſtrare dicitur, ita tuam eloquentiam & peritiam audivimus. Ita varia orbis regna nobiſcum peragrâſti. Ita & Illuſtriſſimo noſtro Principi viam per tot terrarum ſpacia providè & quâdam quaſi Virgâ Mercuriali monſtrâſti. Ita quoque hodie, ut ille in Deorum, ſic tu in literatorum conſeſſu ſedes, & quàm virtus tibi cordi ſit palàm efficis. Agedum ergò, ô alter ſapientiæ patrone *Oynhauſane!* perge ita tuam illuſtrare gloriam, quam etiam ſub Arcto, ſuperatis ob Patriam maximis periculis obtinuiſti. De nobis quorum honoribus hodie faves, non dubita. Nos enim, quòd huic ſolemnitati interfueris laudes tuas tum reticebimus, cùm cœlum terræ miſceri, & univerſum hoc, quod mundum appellamus corruere, atq; ad priſtinum ſuum Chaos reverti cœperit.



*Ad Nobilitatem HASSIACAM univerſam Conſiliariis & Profeſſores.*

Ad vos jam me converto, *Viri & juvenes Nobiliſſimi & Strenui, Domine IOHAN-FRIDERICH SCHÜTZ, Equitum Magiſter* vosq; cœteri, qui ex aula Principis huc emigrâſtis, nobisq; etiam hodie faviſtis, Viri quoq; admodùm Reverende, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſime, Clariſſimi, Acutiſſimi, Prudentiſſimi, Reverendi, & Spectatiſſimi: Haſſiæ decora; Eccleſiæ Giſſenæ Præſes & Antiſtes: juſtitiæ Sacerdotes: Hygeæ & Panaceæ Filii: Sapientiæ & Prudentiæ Præcones, morumq; Doctores acerrimi. Viri multæ eruditionis & ingenii incomparabilis, multisq; nominibus honorandi. *DN. PETRE HABERKORNI*, Eccleſiæ noſtræ fulcrum & ſuſtentaculum. *DN. GREGORI TÜLSNERE, DN. LUDOVICE MENTZERE* Viri magni conſilii & prudentiæ, Reipublicæ Aſyla. Domine *JOHAN-DANIEL HORSTI*, Medice experiẽtiſſime, & qui certâ quâdam atq; ſaluberrima ratione præcocia fata ab omnipotente in hunc uſum creatus remorari noviſti. Alter *Ariſtoteles* acutiſſime *Ebeli*: *Græciæ & Antiquitatis Phœnix Dieterice*: Cœli peritiſſime *Chriſtiane!* Ad vos inquam laſſam meam Suadam dirigo. Sed quibus præconiis, quâve orationis compoſitioris ſolennitate veſtrorum meritorum annales attingam? ſcilicet ut Parnaſſus nihil eſt ſine Muſis, & cœlum ſine ſtellis nihil ageret? Sic Academia hæc ſine vobis hodie nulla eſſet. Veneror hinc Nobilitatem veſtram animorumq; veſtrorum præſentiam, ô aulæ Principis noſtri decora! Eloquium & doctrinam tuam, *HABERKORNI!* Conſilium & conſtantiam tuam, *TÜLSNERE!* Pietatem & juſtitiam tuam, *MENTZERE!* Experientiam tuam & medendi

medendi promptitudinem, ſubtilitatémque tuam & myſticam in Philoſophiæ arcanis profunditatem, *HORSTI!* Suſpicio acumen tuum, & germani pectoris integritatem, *EBELI!* lectionem tuam & ſtudium *DIETERICE!* peritiam tuam & in mundi circulis depingendis ſolertiam Geographicâ *CHRISTIANE!* Sed quid hæc recenſeo, cùm vix primis labris ſic veſtras delibem laudes, quas,

*Si mihi ſint centum linguæ, ſint oraq; centum,*

Et *vox ferrea*, dignè comprehendere non poſſem. Sufficiat me voluiſſe, at non potuiſſe.

*Per vos ecce jubar ſolis redit, atq; coruſcat*
*Juſtus honos legum, peccent ne impune tenebræ.*

Per vos lucent hodie faces, per vos Academia hæc Giſſena ſceptris ſuis jam ſuperbit. Per vos coronas novis Doctoribus diviſas nunc cernimus. Hinc gratias vobis ſolennes agimus, non quantas debemus, ſed quantas poſſumus. Quemadmodum etiam vobis Paſtores Reverendi, Viri Senatorii, Studioſi Nobiliſſimi, Hoſpites & Cives, incolæ & peregrini, & qui brabea noſtra ſpectatum veniſtis, & tantâ quidem frequentia, quaſi hîc locus eſſet, è quo Jupiter mortales in terram emittere ſolet.

*Ad Paſtores, Studioſos, Senatores & Hoſpites.*

*Votum ad* DEVM *pro* ACADEMIA *& Vrbe* GIESSA.

*Tu jam, ô alme & Trinune Deus, Tu, ô immortalis Deus, ſancte Deus, æterne Deus, miſericors Deus, miſerere noſtri, totiúsq; hujus Academiæ, uti vivant Principes, vigeant Patres, floreant juvenes, & Giſſa hæc non otioſo nomine Giſſa audiat.* Sed veluti Paradiſus quatuor irrigatus fluminibus, quæ totam deinde terram Orientis fæcundabant, æternæ vitæ typus erat, in quo & arbor boni & mali, & vitæ contra ignorantiam & immortalitem ſata erant: Jta etiam hæc Giſſena Academia quatuor Facultatum, puta Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ & Philoſophiæ ductu fertilis ſit & fœcunda, adeò ut totus ab inde mundus incrementum capiat, veraq; hujus & illius vitæ commoda percipiantur. Et veluti Lanus, alluens ad Propugnaculum hoc, quod utique ſervare atque ab alto defendere velis, totam viciniam atque latè patentes campos irrigat, & fertilitate donat, ità quoque Giſſena hæc Academia indeſinentis & perennantis aquæ inſtar, juvenes ſanctioris & purioris doctrinæ rivulis irrigatos producat, ut per univerſum terrarum orbem, quâque ſol conſurgit & occidit, Academiæ Giſſenæ laudes exaudiantur. *Sic uno ore & corde precamur Te, Deus Pater, Fili, & Spiritus Sancte*, cui voce quoq; & Muſicâ quæ huic ſolemnitati clauſulâ ponat præconia & laudes canemus dum Spiritus hoc reget artus. *Tibi ſit honor laus & gratiarum actio in ſempiterna ſecula.*



## DIXI.

*Actu itaq; utróque, tam in jure, quàm Medicinâ omnium bonorum exultatione, ſic abſoluto, præcedentibus Buccinatoribus, & pueris duodecim, tædas præferentibus accenſas, ad templum urbis, novi Doctores deduci cæpêre, ubi celebratâ quoque ſelectiſſimâ Muſicâ, coram Altari* à Viro Reverendo plurimùm & Excellentiſſimo, DN. PETRO HABERKORNIO, SS. Theol D. ejusq; Profeſſore & *Superin-*

perintendente Giſſeno, ſacris, quod dici ſolet, initiati ſunt, id eſt preces pro ipſorum ſalute & incolumitate ad Deum fuſæ, cum gratulationibus; & ut Deus ſuâ clementiâ & protectione novis Doctoribus favere, atq; honores eos ad nominis ſui gloriam, Eccleſiæ & Reipublicæ ſalutare incrementum dirigere & ſecundare dignetur. Quibus finitis, & Muſicâ colophonem addente, ad Collegium Ludovicianum iterum deducti ſunt, ubi publico & Principali convivio, libatis pro Imperatoris ſacratiſſimi. Dn. FERDINANDI Tertii, atq; totius Imperii Romani ſalute perpetuâ pateris & votis innumeris, Senatu etiam civico dona mittente, non latè minùs, quam lautè feſtivitas Academiæ publica terminum vidit.



# CARMINA VOTIVA,
## Pro
## SERENISSIMI CELSISSIMIq; PRINCIPIS AC DOMINI,
# DN. GEORGII,
## Haſsiæ Landgravii,
## ACADEMIÆ GISSENSIS RESTAURATORIS MUNIFICENTISSIMI,

*Atque ipſius etiam*

## ACADEMIÆ GISSENÆ NOVITER RESTAURATÆ

*Salute fuſa & partim valvis templi ipſâ reſtaurationis die affixa, partim peregrè tranſmiſſa.*

AD SERENISSIMUM, ILLUSTRISSIMUM ET CELSISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM,

# DN. GEORGIUM,

HASSIÆ LANDGRAVIUM, COMITEM IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIGENHAINA, NIDDA, ISENBURGO ET BUDINGA, &c.

DN. SUUM CLEMENTISSIMUM,

UNIVERSITATIS GISSENSIS AMPLIFICATOREM ET RESTAURATOREM MUNIFICENTISSIMUM,

προσφώνησις ἐπαινετικὴ

ACADEMIÆ GISSENÆ.

I.

ILLUSTREM ergò SCHOLAM dum augesque, ornasque, fovesque
Munificâ Doctos & pietate beas.
Patris, Avi, Proavi ſequeris veſtigia magni,
Remq́; facis, quâ non gratior ulla DEO.
Quâ non utilior Templis, ſceptrisque Potentûm
Et quâ tota hominũ vita carere nequit.
Rem præſtas dignam toto celebrarier Orbe,
Rem dignam à ſera poſteritate cani.
Quàm pulchrum! Accurrit peregrinis Civis ab oris,
Et læto intuitu hâc nunc fruitur, meritis

Laudi-



Laudibus extollens TE PRINCEPS, Gloria ſurgat
Magna Tui PRINCEPS Inclyte, ſurgat honos.
Floreat ergò SCHOLA hæc nomen laudesque vigeſcant;
Nî, ruet hæc unquam, cœlitus alta ruant.
Regnet in hac pietas, Virtus, Doctrinaque regnet
Pulpita clara DEUM ſimplicitate colant.
Doctores tractent nil futile: at utile concors
Semper det ſtudium, mutuus ornet amor.
Floreat ergo SCHOLA hæc, namque eſt habitatio JOVÆ
Sacra Triunius; frugifer hortus erit.
Floreat ergò SCHOLA hæc: florebunt omnia GISSÆ
Hâc ſtante; hîc DEUS eſt: plaudite cuncta cohors!

II.

I*Nter tot Mundi ſpectacula multa, Lyceum*
*Jactet* Roma *ſuum, Cecropis Urbsq́; ſuum.*
Principis Heſſorum *præſtat tamen ecce!* Lyceum;
*Unde ſuum GISSA hæc tollit ad aſtra caput.*
*Illîc non CHRISTI reſonabant dogmata pura:*
*Omnia* Mars, Pallas, Jupiter *atq; dabat.*
*Aſt hîc non* Pallas, *non* Mars, *non turpis adulter*
Jupiter; *hîc CHRISTI nomina ſancta vigent.*
*Unde ſalutis iter nobis ad cœlica regna*
*Panditur, & vita commoda cuiq; ſua.*
*Hinc etiam merces dabitur tibi* Magne *GEORGI*
Hoc opus ob, *celſo non moritura polo.*
*Herculeo ſiquidem ſunt anteferenda labori,*
*Sedula quæ fecit Principis iſta manus.*
*Ergò tuum* Cecrops *memora & tu* Roma *Lyceum!*
Principis hæc veſtras vicerit ecce! *Scholas.*

*fauſtæ acclamationis ergò facieb.*

Gregorius Tülſnerus, U.J.D. Conſiliarius
Haſſo-Darmſt. & Profeſſor Pandect.
Ordinarius.

V 2 GRA-

III.

# GRATULATIO

## *IN RESTAURATIONEM ACADEMIÆ GISSENÆ.*

GRande opus ad ſuperi exequeris nunc Regis honorem,
O patriæ *Pater* & Princeps præcelſe, GEORGI!
Quando tuis hîc auſpiciis Schola noſtra reſurgit,
Fortunante id opus, ſuperoq; juvante Monarcha,
Vergat ut ad noſtræ communia commoda gentis;
Imò Chriſtiadum populi totius in uſum,
Quem variis eheu! nunc ſubjecêre periclis,
Ingentes ſathanæ fraudes & acerba poteſtas.
Luſtra abiêre novem, quùm ſummi Numinis almo
Inſtinctu, vigili curâ, fructuq; perenni,
Hanc ita divino primùm fundaret honori,
LUDWICUS Princeps, genitor tuus, ille FIDELIS,
Pòſt ut in hâc crebrò Moyſis, Paulique legantur,
Atque Prophetarum, è doctis pia ſcripta cathedris,
Et ſacra ſalvifici firmentur dogmata verbi,
Tantâ religionis opus pietate fovebat!
Juſtitiæ nec cura fuit minor, inde doceri,
Leges quaque die & civilia jura volebat,
Et feuda, & canones, & cætera ſingula, magnus
Quæ vel Baldus habet, vel Bartolus, aut quoque Jaſon,
Aut reliqui, legum queîs magna ſcientia magni
Nominis æternum decus hîc famamq; reliquit.
Tum, quæ porrò docent Medicâ ſolerter in arte,
Galenus, Geber, Hippocrates quoq; Cous, & Hermes,
Purgatus magicis Paracelſus & Avincennas:
Quicquid Ariſtoteles, Plato, & Sophos omne Sophorum,
Arte laborârunt, hæc & quoque ſingula juſſit
Cottidiè ad pluteos ſolidè diſcuſſa ſonare.
Egregium factum! ſua cui præconia laudum
His terris nunquam deerunt meritiſſima, quodque,

Invictum



Invictum Imperii caput, atque Monarcha RUDOLPHUS
Auſtriacus, vitâ æternâ digniſſimus heros,
Cujus & in paucis meritò memorabile nomen,
Tum quoque firmavit calamo, magniſque ſigillis
Munivit, noſtriſque lubens Academica Muſis,
Jura dedit, nullis unquam moritura diebus,
Europæ ſummo quod erat tum Principe dignum.
Grande opus hoc per te dum, Princeps magne, reſurgit,
Principioq; DEUS per fervida vota vocatur
Cunctorum, tam ſancto operi benedicere ſemper,
Sanctâ è ſede velit, ceu fons & origo Scholarum,
Atque ſuâ omnipotente manu, promptiſſimus idem
Adverſus ſathanam atque alios id ritè tueri
Oppoſitos hoſtes, hic qui, modò dira precantur,
Et ſtrepitu linguæ inſano proſcindere tentant:
Atque Academiaci noſtra hæc ſolennia feſti,
Auſpice te, tanto pariter celebrantur honore,
Et ſumptu eximio, & læto clangore tubarum;
Quis te jam dubitet ſimilem pietate parenti?
Quis dubitet memorem te relligionis avitæ,
Hujus velle quidem triſtes ſarcire ruinas,
Et pia ferre ſimul dubiis ſolatia rebus?
Sic iterum, felix quondam, tua GISSA reſurget,
Priſtinum eique decus reparabitur, inter & urbes
Splendebit reliquas meritò, ceu lumine plena
Splendeſcit ſtellas inter vaga Luna minores.
Tantus amor patriæ tibi, Princeps inclyte! tanta
Cura Eccleſiolæ, patriis quæ militat arvis,
Quæque eſt preſſa malis multis multiſque periclis!
Tam quoque cor patrium Princeps alis, optime Princeps,
In tibi ſubjectos, ſubjectorumq; ſalutem;
Pro qua tot noctes tibi næ! vigilantur amaræ:
Pro quâ tam celebrem nobis hîc inſtruis actum,
In laudemque DEI, felici niteris auſu,
Reſtaurare ſcholam, quæ hucuſque ſepulta jacebat,

 Miraclo

Miraclo factum hoc ſimile eſt, & id eſſe fatentur
Nunc, quibus eſt melior circum præcordia ſanguis,
Qui ratione ſuâ reputant obſtacula mira.
Præcipuè dura hæc & acerbis undiq; fatis
Vix tranſacta quidem, quæ viximus hactenus omnes,
Tempora; queîs Martis furor atque inſania cunctas
Fermè evertit opes patriæ, mala & intulit illa,
Per ſpurios fidei fratres, fictosque ſodales.
Queîs non ipſe queat ſathanas pejora patrare.
Tam reprobis horum conatibus, undique vera
Relligio ſuppreſſa jacet; jacet ipſa priorum
Seclorum pietas, quàm ferventiſſima certè,
Illius inque locum ſcelerum maledicta propago
Succeſſit; ſunt verſa ſimul jus fasque; repulſa
Scita magiſtratus, jurataque fœdera; leges
Sublatæ, mutævé ſilent; ſtudiisque piorum
Nullus honos; odiumque furens, & fœda voluptas,
Faſtus & ambitio, ſcelerataque hypocriſis una
Regnant atque ſuos tollunt ad ſidera fluctus:
In ſumma, miſeris quæ ſumma injuria, jus eſt,
Hæc huc uſque fuit facies mœſtiſſima rerum!
Sic, eheu, cecidit patriæ bona gloria noſtræ!
Tantum vexavit miſeros inſania belli!
Tam fuit in noſtros hæc ingenioſa dolores!
Dum mala tanta vigent, & vix habitura putatur
Pax tranquilla locum, ſubitò, ſpem præter & omnem,
His tandem ſaturata malis, pœnisque, quieſcit
Ira Dei, populique ſui prece ſupplice victus,
Reſpexit propior miſeros, pacemque remiſit.
Scilicet hæc eſt ſumma Dei clementia, ſicque,
Omnia cùm deſunt, Domini miſeratio præſtò eſt,
Quam læto, experti toties, nunc ore canemus,
Clementemque Deum toto celebrabimus orbe.
Hanc & is ipſe Deus per Te, Celſiſſime Princeps,
Egregio hoc voluit nobis oſtendere facto,
Facto, cui geminum noſtra hæc non audiit ætas;
Egregium factum! & te, tanto Principe, dignum:





Principe dignus honos, divinæ laudis honori,
In templo, inque ſcholis, patriæ ſarcire ruinas,
Et pietatis opus cum relligione fovere,
Ac diras ſathanæ penitùs contundere fraudes.
Ergò feſta dies ſalve, ſuaviſſima nobis
Et toti patriæ noſtræ, votisque piorum,
Exoptata diu, vaſto venerabilis orbi!
Salve etiam Princeps verè Celſiſſime Georgi!
Haſſiacæque domus columen, laus unica, ſalve!
Cui referent meritò æternas pia ſecula grates,
Hærebitque animis cunctorum hæc gratia facti.
Quam benedicta Trias per prœmia mille rependat.
Præmia non tantùm præſentis maxima vitæ,
Sed quoque præcipuè alterius, vitæque perennis:
Hæc tua nam pietas, variisque exercita curis.
Sedulitas, virtusque ſimul generoſa merentur,
Tu meritoque tuo, generoſâ mente reportas.
Salve tu pariter, verè Illuſtriſſima Biga,
O Princeps Ludovice, tuo cum fratre Georgo!
Muſarum unus amor patriâ vos traxit ab urbe,
Splendida quò noſtra hæc inviſere feſta queatis,
Atque Patris ſupplere locum, mentemque benignam
Declarare ſimul cunctis præſentibus aptè:
Salve hoc adventu felix, Celſiſſima biga!
Salve Academiæ Doctoribus atque Magiſtris!
Salve etiam toti nunc exoptata phalangi,
Quæ poſthâc ſtudiis hîc indefeſſa vacabit;
O decies ſalve! dignas quis fundere grates
Pro tantis poſſit meritis? Supplere voluntas,
Quæ noſtris deſunt nunc viribus, ipſa tenetur,
Paucaque verba loqui, tantarum in pondere rerum:
Semper honos, his pro meritis, laudesque manebunt:
Fama tenax veſtrum hoc facinus ſuper aſtra locabit,
Æternoque ſimul dignabitur omne triumpho.
Tu nunc ingredere ô felix Academia! Gyssam.
E ſtudiisque tuis totum tua fama per orbem
Creſcat: mille tibi, diſcentes atque docentes,

Præſtò ſemper eant, & mente & corpore ſani,
Nobile depoſitum hoc qui magnâ laude tueri,
Ad ſeroſque queant traſmittere ritè nepotes.
At tu Gissa tuis felix heroibus illis,
Totâ mente tuâ jam nunc nova jubila tolle;
Antehâc impavidi clarebas Martis honore,
Quæ, ſic dante Deo, poſt artis honore virebis,
His ſtudiis creſcens properè tua fama per orbem,
Migrabit, referetque pias ad ſidera laudes,
Gaude! animoque tuos prono nunc ſuſcipe alumnos,
Quicquid & officii debes & quicquid honorum,
Accumula, cultuque ſimul mactare decenti
Sidera perge tui Clarii prælustria cœtus,
Hoc tua ceu ſpondet pietas, antiqua fidesque,
Majoresque ſuo exemplo docuêre: viciſſim
Omnigeniſque bonis, tum tu decorabere felix,
Atque opibus, ſic dante Deo, ditata virebis.
Tandem ſumme Pater, qui munera tanta dediſti,
Grata tibi læto cantamus carmina corde,
Qui ſolidam pacem, quæ præſtantiſſima rerum,
In terris hominum generi quas tute dediſti,
Et placidis artes voluiſti reddere tectis;
Poſcimus, alme Deus, genibus tua Numina flexis,
Sit tibi, ſit ſumme noſtra hæc Academia curæ,
Cum ſtudiis noſtris, tu ſingula cœpta guberna,
Ad laudemque tui ſic nominis illa deinceps
Dirige, quò in cunctis ſervetur congruus ordo?
In vera da pace ſimul nos vivere ſemper,
Et quod obeſſe poteſt, genus omne repelle malorum,
Tum quoq; porrò tuæ divinæ laudis honores,
Pro meritis grati, corde uno, uno ore canemus.

---

*Eteoſtichon, continens, cum pio voto,*
annum reſtaurationis.

ChrIſte SChoLaM eXaVge, PrInCeps hanC GeorgVs honorI,
NVnC pLantat GIſsâ rurſVs In Vrbe, tVo.

*Sic*



IV.

*Sic perge PRINCEPS ſicq; tuos fove*
*Atq; irruentes protere Cerberos,*
*Magnis fatigant qui ruinis*
*Sollicitas ſtudiis Camœnas.*
*Te Phœbus, & qui doctior uſpiam*
*Floret Chorus, Te cum Themide & fides*
*Mirantur. O tutela præſens*
*Imperii, Charitum, SCHOLÆQVE*
*Illuſtris. O quâ Phœbus ad inclytas*
*Tranſcurrit oras, optime Principum*
*Quo patriæ feſſæ Camœnæ*
*Et Charites didicêre ſemper*
*Quid mente poſſes. Munificus jubes*
*PRINCEPS doceri hic quæq; ſalubria*
*Juventam ad hujus vitæ honores*
*Perpetuamq; animæ ſalutem.*
*Majus honorum vix decus eſt Ducum,*
*Quàm Doctiori præmia ponere*
*Factisq; laudandis, & æquis*
*Adjicere ingeniis honores.*

Submiſſæ gratulationis, debitæ gratitudinis
Humilimæq; ſubjectionis ergò
*ſcrib.*
*M. David Chriſtiani, Pomer. Mathemat.*
*Prof. Ord.*

V.

NUn wünſchet Giſſen Glück/ der Stadt/ ſo ſchön erbauet *Pſ. 122. v. 6.*
Zur Hohen Schul/ wohl dem der itzund ſie beſchauet: *Luc. 7. v. 5.*
Iſt Giſſen nit die Stadt/ der GOTT geholffen hat? *Pſal. 46. v. 6.*
Als Sie wie Dothan hart der Feind umbgeben that. *2. Reg. 6. 14.*
Wohl dir du Gottes Stadt! Der Höchſte bey dir wohnet/ *Pſal. 46. v. 5.*
Wie Ninive der Statt/ hat deiner er verſchonet/ *Jon. 3. v. 3.*
Die Riegel deiner Thor hat er verwahret feſt/ *Pſ. 147. v. 13.*
Mit Weitzen-Früchte will er dich ſättigen aufs beſt. *Pſ. 147. v. 14.*

X Für

*Matt.*11.*v.*23. Für andern Städten auch/ du Giſſen biſt erhoben/
*Pſal.*87.*v.*1. Du biſt gegründet feſt/ wer wolte dich nicht loben?
*Pſal.*87.*v.*2. Viel herꝛlich Dings in dir man predigt für vnd für:
*Pſal.*24.*v.*9. Drumb mache weit die Thor/ ſperꝛ auff die Hertzens-Thür.
*Pſ.*122.*v.*9. Vmb deiner Kinder willn dein beſtes GOtt will ſuchen/
*Rom.* 12. *v.*14. Mit einer Hohen Schul/ drumb ſoltu nicht Jhr fluchen.
*Act.*5.*v* 38.39. Dan dieſes groſſe Werck rührt her auß Gottes Hand/
*Matt.*18.*v.*20. Der hat darzu die Mitt' erſehn' in dieſem Land.
**O was vor dapfre Leuth hat Giſſen doch gegoſſen!**
*Marc.*16.*v.*15. Die in die gantze Welt vor dieſem ſeyn gefloſſen.
Diß hat der kluge Fürſt Landgraf Georg erwegt/
*Ann.* 1650. Drumb hat in Giſſen Er auch ſeine Schul gelegt
*Cant.*2.*v.*12. Jn dieſer Lentzen-Zeit/ da alles lieblich blühet/
*Dominica* Zu richten an diß Werck man ſich ſehr hoch bemühet/
*Jubilate.* Heut iſt der Frewden-Tag/ an dem wird auffgeführt
*Act.*17.*v.*17. Die weitberümbte Schul/ der nichts als Lob gebührt.
*Pſal.*118.*v.*25 HErꝛ hilff! ſo ruffen wir/ O HErꝛ laß wohl gelingen.
*Pſal.*67.*v.*7. Geſegne dieſes Werck/ gib Glück zu allen Dingen.
1. *Chron.* 18. Heb an zu ſegnen HErꝛ diß Univerſität/
*v.* 27. Daß ſich erfrewe drob die gantz Poſterität.
*Iob.*8.*v.* 44. Wehr auch dem Lügen-Geiſt daß er nicht mög' einſäen
*Matt.*13.*v.*25. Sein Vnkraut in diß Schul/ ſonſt wird ſie nicht beſtehen.
1.*Tim.* 3. *v.* 15. Laß Sie wie eine Seul der Warheit ewig ſeyn/
1.*Tim.*4 *v.* 2. Vnd daß kein Lügner ſich mög' jemahls ſchleichen ein.
*Sap.* 9. *v.* 4. Gib Weißheit vnd Verſtand: Sey bey der lieben Jugend/
*Pſ.*90. *v.* 14. Füll ſie mit deiner Gnad/ bring ſie zur rechten Tugend.
1. *Chron.* 18. Zu ſegnen HErꝛ heb' an diß Univerſität/
*v.* 27. Daß dich deßwegen lob die lieb Poſterität.

Alſo gratulirt ſo wohl der Stadt vnd Veſtung Giſſen/ als auch der Löblichen reſtaurirten Univerſität Giſſen.

*M. Conradus Mislerus, Illuſtr. Pædag. Giſſ. Præc. Claſſ.*

VI.

A Patre perfectum deſcendens lucis ut omne
Deſuper eſt nobis optimum & omne datum:
Summas ſic ipſi grates nos jure tenemur
Omnis ceu fonti ſolvere corde boni:
Quare mente tuâ, GISA felix, pectore ſurſum,
Surſum voce piâ jubila ſolve DEO!
Te DEUS ex multis tanto deamavit amore,
Ut ſuperent patris viſcera matris item:
Te DEUS Eoâ celſus munivit ab arce
Immenſis donis innumeriſq; bonis:
Si ſit relligio? tu Sion ritè mereris
Nomen, qui tradit dogmata pura Dei:
Si ſit præſidium? tu Zoar vera vocaris,
Quæ tibi præſidio finitimiſq; fuit:
Si fuerit victus? tu diceris Ephrata multis
Nominibus Cereris munera mille ferens:
Verùm quid multis? Schedulâ quid prêndere conor
Hâc bona dona DEI non numeranda mihi?
Unum jam dicam: Spatium ferè quinquaginta
Annorum effluxit, quos meminiſſe decet,
Auguſtum Invicti quo Numen Cæſaris almam
In te fundatam ſanxit Academiam:
Quo LUDOVICUS item Princeps Laudatus eandem
Erexit, fovit dotibus atq; ſuis:
Immò nec ſatis hoc, Domino ſic auſpice, verùm
Numina muneribus te cumulare ſolent:
Princeps, æternâ qui laude, GEORGIUS Heros,
Eſt dignus, noviter te bonitate beat,
Quando reſtaurat privæ-Diplomata-Legis,
Priſcam Academiam reſtituitq; tibi:
Dum tua clementer confinia macte beavit
Immenſo dono perpetuoq; bono:
Quare mente tuâ, GISA felix, pectore ſurſum,
Surſum voce piâ, Jubila ſolve DEO!
Jubila in hoc feſto, quod Jubila poſtulat ultrò,
Atq; tuo Patriæ Jubila ſolve Patri:
Multa quibus debes, immò quibus omnia debes,
Eſt DEUS & Princeps, ceu tua cauſa boni:

Eſto Deo gratus, quantum potes eſtoq; gratus
Ipſi, qui Pater eſt & Patriæ atq; Scholæ:
Tu Deus altipotens fons & largitor ut omnis
Verè es perfecti proficuiq; boni,
Quod bene cœpiſti, benedic &, quæſo, ſecunda.
Nam benedictum, cui tu benedicis, erit,
Sit tua, nil aliud, ſanctiſſima gloria finis,
Atq; Juventutis ſit ſcopus una ſalus.

CHRONODIST.

*O Pater, Vt VIgeat GIſſena ACadeMIa, faXIs,*
*VIrIbVs egregIIs, perpetVIsqVe bonIs.*

Debitæ congrat: ergò
*fac.*

*M. Johannes* Grech *Illuſtr. Pædagog.*
*Præc. Claſſ.*

VII.

HESSORUM ſalve, ſalve Celſiſſime Princeps,
Mœnibus hiſce tuis qui adportas gaudia grata,
Cæſareis eadem magnis dum dotibus ornas,
Efficis, ut Patriæ ſurgant Academica jura.
Quis non quadrigis ſpacioſa per æquora laudum
Hunc agitet, ſparſas veterem pietatis ad uſum
Qui Scholas ducit, fundatq; legitq; Lycéa?
Tu Patriæ Princeps, hic es, qui Muſica caſtra
Inſtauras, (monſtrant illuſtria facta diei)
Commoda, quæ manent, noſcens, ex fonte Scholarum.
Ergò ſublimem famam, decus omne mereris.
Salve feſta dies, cunctis venerabilis Haſſis,
Exoptata venis, nobis non carior ulla,
Tu genus Haſſiacum cauſaris ducere vultus
Lætos, diffundi plenis in gaudia buccis.
Hactenus inſanus fremuit Mars, qui horrida bella
Intulit Aonidum turbæ, ſed victor ab hoſte
Non venit. Preſſit, totum perterruit orbem,
Sed non oppreſſit. Celebretur victor Apollo;





Mars debellatus ſævus, cantate triumphum!
Gaudeat, exultet, Phæbus, Muſæq; triumphent,
Nulla ſalus bello, rediit pax aurea Muſis.
Menſibus elapſis paucis, cur GISSA dolori
Alto indulgebas, Schola cùm ſimularet abire?
Erige nunc iterùm caput, auſpiciumq; triumphi
Excipias plauſu, cernis jam ſceptra Lycéi,
Tempore quo tellus herbas & gramina promit,
Promunturq; tibi, en! ô GISSA, Academica dona.
Hæc eſt illa dies, quâ promulgantur honores
Juraq; Pieridum, tacito ſub pectore geſti,
Metropolis quoniam diceris ſancta Minervæ
Aonidumq; domus Muſarum eris, inclyta ſedes.
Dulcia lætifico diffundas jubila plauſu
Munifico Jovæ, qui te miſeratus ab alto
Cæſareis hodiè donavit dotibus almis,
Depromas meritas memori de pectore grates,
Quamvis à nobis meritis ingentibus umbra
Vix meriti poſſit perſolvi, aſt grata tenenda
Pectora, ſi vires deſint laudanda voluntas.
Quod ſupereſt toto tibi GISSÆ pectore grator,
Voto devoto applaudo, majora præoptans,
Hoc tantùm precor, ut moderetur ſenſa docentûm
Ac animos rectè diſcentûm, ſummus Jova,
Incendat, fundat diſcendi in pectus amorem,
Summos doctorum variis ex gentibus orbis,
Theiologos puros pariat, Eccleſia Chriſti
Per quos paſcatur, magnos & Jure peritos,
Quorum conſiliis maturis regna regantur,
Philoſophos cultos, Suadas, Medicosq; celebres,
Sic ſeſe augebit tua gloria famaq; GISSA
Nominis æterni & decus impetrabis ab orbe
Floreſcas vigeas, creſcasq; Academia noſtra
Felix Principio, medioq; & fine beata.

*M. Kilianus* Rudrauff *Illuſtr. Pædag. Giſſ. Præc. Claſſ.*
Anno. *Deo Cantate MeLos.*

VII.

# Lob-Wundſch-vnd Frewden-Gedicht/

An den

Durchleuchtigen/ Hochgebornen Fürſten
vnd Herrn/

## Herrn Georgen/ den II. Landgrafen zu Heſſen/ Grafen zu Catzenelnbogen/ Dietz/ Ziegenhain/ Nidda/ Yſenburg vnd Büdingen/ Meinen gnädigen Fürſten vnd Herrn.

IN dem/ Hoch-Edler Fürſt/ in ſo viel ſchönen Schrifften/
Manch wohlberedter Mund Euch jetzo denckt zu ſtifften
Ein ewiggrünend Lob/ in dem/ zu Ewrer Zier/
Der klügſten Tichter Schaar ſich mühet nach Gebühr/
Vnd jeder gleichſamb hofft vor andren zu erſteigen
Den Gipffel höchſten Ruhms; Mögt ich wol billig ſchweigen/
Als der ich nichts vermag'/ als der ich an der Höh
Gleich wie ein' albre Taub/ bey edlen Schwanen ſteh:
Doch ſchreib ich mir nichts zu/ weil ich nit kan erfüllen
Was hie das Werck' erheiſcht/ ſo nehmet je den Willen
Selb ſelbſten vor die That: Diß bitt' ich bloß allein/
Schließt mich/ Hochthewrer Fürſt/ in Ewrer Gnaden-Schrein.

Lob-Rede.



## Lob-Rede.

GLeich wie der Gartener/ bey vngeſchlachten Zeiten/
Wan Hagel/ Froſt vnd Schnee diß breite Rund beſtreiten
Vnd aller Blumen Tod/ der Winter/ ihn befellt/
Sein hartbereifftes Land vnd kühles Sommer-Zelt
So lang verlaſſen muß/ biß Phœbus güldner Wagen
Das muntre Himmel-Liecht hinwiedrumb bringt getragen/
Da dan Er allererſt zu friſcher Arbeit greifft/
Gebraucht ſich guter Zeit/ iſt emſig/ rennt vnd läufft/
Gräbt/ tünget/ reutet/ ſäet/ propfft/ wäſſert vnd benetzet;
So gieng es auch mit Euch/ Herr/ der Ihr ſeyd geſetzet
Des Landes Seul vnd Haupt/ ſo lang durch Mord vnd Brand/
Europens ſchönſter Glantz/ das liebe Vatterland/
Erbärmlich wurd verſtellt/ ſo lang die trübe Tage/
Die rauhe wüſte Zeit/ die nun erlidne Plage/
Die Trübſal/ Noth vnd Angſt/ der Winter aller Qual/
Die Centnerſchwere Laſt/ der Krieg vns überall
Gantz ſchmertzlich hat gedrückt/ ſo lang wurd' auch im minſten/
Nicht wie zuvor/ gewart den Hochbefreiten Künſten/
Vnd das auß keines Schuld/ als der verböſten Zeit/
Die mit ſich führt heran all Kummer/ Creutz/ vnd Leyd.
Jetzt aber da die Sonn des Friedens wiedrumb gleiſſet/
Thut Ihr auch/ tapffrer Fürſt/ was Euer Nahm' Euch heiſſet/
Georg ein Griechiſch Wort/ ſo man es hochteutſch giebt/
Ernennt ein ſolchen Mann der Feld vnd Gärten liebt/
Vnd ſelbe hegt vnd baut; Was kan man anders ſagen/
Von Euch vnd Eurem Sinn'/ Ihr laſt Euch ja behagen/
Vor allem/ dieſes Thun/ dahin ſteht Eure Müh'/
Wie wiedrumb nach vnd nach der Kunſt-Baum grün' vnd blüh/
Der faſt erſtorbne Baum/ den Ihr anjetzt verſetzet
In Euren gailſten Grund/ erfriſcht/ hegt vnd benetzet/
Und düngt ihn alſo wohl/ daß manch hochwerthe Bürd/
Von ſeiner ſchönſten Frucht man nechſt erheben wird.
O ein recht edler Ruhm/ der kräfftig mag beſtehen/
Und ſchwerlich mit der Welt wird unter können gehen!

O ein

O ein gantz Fürſtlichs Lob/ das ewig nicht verſchleiſt!
Dan ſchaut Apollo ſelbſt Euch einen Krantz verheiſt:
Die zarte Charites die werden ihn vmbwinden/
Und die geneundte Schaar die ſoll ihn ferner binden
Auff Euer würdigs Haar / ſo ſteht Jhr dan beziehrt/
Wie einem ſolchen Herrn / bey ſolcher That gebührt.
Nun eben dieſe Ehr hat rühmlich auch erhalten
Faſt euer gantzer Stam / es war den lieben Alten
Jhr höheſte Begierd/ daß ſie ſelbſt möchten ſeyn
Der Muſen Hülff' vnd Troſt/ ihr Glantz vnd heller Schein/
Dahin ſtund' ihre Luſt/ wie auch die blinde Heyden/
Von grauen Zeiten her/ die pflegten zubeneyden/
Den/ der die Weißheit haſſt / hingegen war ihn lieb
Der/ ſo die freye Kunſt/ mit vollen Kräfften trieb'/
Und dieſe Ehr erjagt. Ja nimmer iſts geweſen
Nur ſchlechtes Pöfel-Volck / durch das da iſt geneſen
Der freyen Künſten Stam. Was war zur Griechen Zeit
Themiſtocles? ein Fürſt/ ein Mann ſehr hochbeſchreit/
Und vnerſchrocknen Muths. Pericles vnverſchwiegen/
Auch Fürſtliches Geblüts/ ſo gleichſam von der Wiegen/
Biß in das Grab hinein / auff Bücher ſich befließ/
Und doch im Richter-Ampt am Fleiß nichts vnterließ.
Was konte Scipio zur Römer Zeit / nicht gelten/
Lucullus, Fabius, Marcellus, ſampt den Helden/
So nicht zu zehlen ſeynd? Auß vngezählter Zahl
Tritt doch/ vor andern/ auch hier auff den breiten Saal/
Unſterbliches Gerüchts / Fürſt Julius, der Groſe:
Auguſtus eylt hernach / als welcher ſein genoſe/
Und ſeiner ſtärckren Macht/ denſelben folgt die Meng/
Doch leucht viel andern vor/ in völligem Gepräng/
Der groſe Carolus, ein Herr von tapffren Thaten/
Der ihme gleicher weiß / mit Stärck vnd Witz zu rathen
Sehr füglich hat gewuſt. Nechſt dieſem gehn heran
Die Käyſ're Friederich/ Ott/ Maximilian/
Henricus, Ferdinand, Rudolph, vnd andre Helden /
So Künſte Fördrer warn; Auch frembde zu vermelden/





So leucht auß Franckreich her Franciſcus wohl bekant/
Der Cron vnd Scepter führt: Im nachtbarn Engelland
Eliſabeth, die Dam/ die Heldin/ derer Leben
Und Königliches Lob noch vmb die Wolcken ſchweben:
Alphonſus iſt berühmt: gantz Polen saget frey/
Daß Stephanus ein' Ehr' im Land geweſen ſey.
Und das/ in Warheit/ iſt/ vor andern zuzuſchreiben
Der freyen Künſten Kunſt/ als welche ſie zu treiben
Nicht Fürſten ſchimpfflich taugt. Nun wil man fort beſehn/
Wie/ gleichſam mit der Sonn/ pflegt täglich auffzugehn
Auch Eurer Ahnen Lob/ die Weltberümbte Thaten/
Der Weißheit helle Glantz / die Klugheit in dem Rathen/
Die Mannheit in dem Werck / der treffliche Verſtand/
Das vätterliche Hertz zu Künſten/ Leut vnd Land:
So tritt vor andren auff ( weil alle zu erheben /
Und ihnen ihren Ruhm/ nach Würdigkeit/ zu geben
Ich mich zu ſchwach befind/ ( der groß gemuthe Held /
Philippus, deſſen Ruff biß in die andre Welt
Sehr rühmlich iſt erſchallt/ der/ den/ Jhr Herr/ erkennet/
Ein edle Zier des Stams/ vnd Uhr-groß-Vatter nennet/
Der ſo Parnaſſus hat/ als gleichſam mit der Hand/
Uff den Marpurger Grund verſetzet / in das Land/
Deß Fürſt vnd Haupt Er war. Nun ſolt' ich klar beſchreiben
Sein Leben vnd ſein Thun/ wo würd' ich wohl verbleiben
Auff dieſer hohen See/ drumb ſag' ich kürtzlich an/
Was er der theure Held fürnemblich hat gethan:
Dan was nur Tugend heiſt/ vnd kan geprieſen werden/
Das ſchien' an ihm' herfür / es zeigtens die Geberden/
Das Werck auch ſelbſt erweiſts / es iſt ja noch bekandt
Wie Heina/ Grunaw/ ſampt Merxhauſen ſey verwand/
Durch ihn zum Unterhalt der mangelhafften Leute:
Der Eyfer zu der Lehr macht auch daß Er nicht ſcheute
Den Grimm der böſen Welt/ Er/ dieſer Held/ nechſt Gott /
Tilgt auß deß Pöfels Schwarm/ vnd Wiedertäuffer Rott.
Kein Feind war je ſo groß/ Er dorfft' es mit ihm wagen /
Drumb hat Er auch ſo offt den Sieg davon getragen/

Vnd ſtets mit Fug vnd Recht. Nun daß ich weiter ſchreite/
So kan ſich nimmermehr der neydiſch bleiche Neyd
Auch ſeiner tapffren Söhn’ hochlöbliches Beginnen
Zu ſchmälern vnterſtehn / es ſeynd die kluge Sinnen
In aller Welt bekant: Wilhelm/der Weiß genent/
Leucht wie die güldne Sonn’/ am hohen Firmament/
Durch ſeiner Künſten Glantz / drauff konte Ramus fuſen/
Und ſprach daß Caſſel wer’ ein andres Syracuſen/
Da Archimedes wohnt: Deß Brüdre ſeynd geſampt
Als Fürſt Ludwig/Georg vnd Philips wohl benambt/
In freyer Kunſt geübt/ſie lieſſen nicht verſterben
Den Ruhm/ſo Ihnen wuſt’ Ihr Vatter zu erwerben/
Sie ſatzten Ihme nach/vnd giengen wiedrumb für
Auch denen die da hat/ dem Stam zur weiten Zier
Der Himmels-Fürſt beſchert. Wer hat nicht ie vernommen
Wie hoch in aller Kunſt Mauritius ſey kommen/
Wilhelmus groſſer Sohn? Frantzöſiſch/Deutſch / Latein/
Warn täglich ſeine Sprach’/ auch war ihm gantz gemein
Hiſpaniſch/ Engelliſch/ Italieniſch reden/
Kein Vngar/ oder Griech/ auch keiner von den Meden/
Noch Jud/noch Syrier/ſchrieb’ ihm zu hoch vnd ſchwer/
Daß nicht ſein groſſer Geiſt darzu gelanget wer:
Ja es hat dieſer Fürſt nicht Viele ſeines gleichen
Zu ſeiner Zeit erlebt/ Ihm’ Ihme muſten weichen
Die höchſtgelahrte Leut’/ Er dieſer theure Held
Lebt noch nach ſeinem Tod’/ es kennet Ihn die Welt/
So weit deß Phœbus Pferd’ ihr heiſſe Bahn durchrennen/
So weit man Menſchen noch / als Menſchen kan erkennen/
So weit grünt auch ſein Lob’/ Er war der Tugend Bild/
Der Weißheit helles Liecht/ der freyen Künſten Schild.
Was hat Fürſt Ludowig/der Trew/ auch nicht erwieſen
Den Muſen ſeiner Zier/wie ließ er doch genieſen
Sie aller milden Gnad? Er/ (deſſen lieben Sohn/
Der Himmel Euch ernant/) ſatzt ihnen ihren Thron
Recht in des Landes Marck/ließ alſo klärlich ſcheinen/
Wie treu vnd hertzlich Er die Künſte pfleg zu meynen/

Vnd



Vnd was Ihn anverwant/ kein Koſten lieff zu hoch/
Den Er zu dieſem Werck nicht gern vnd willig zog’/
Er ſelbſten hat nicht nur dieſelbe bloß geliebet/
Er hat in ihnen ſich auch alſo frey geübet/
Wie Fürſten wolgeziemt/ ſo redet’ auch ſein Mund
Manch ſchöne frembde Sprach/ gantz fertig auß dem Grund.
Nun ich eil’ / auff den Zweck/ drumb wird faſt übergangen
Fürſt Herman/der gelahrt’/ als der doch mit Verlangen
Selb ſelbſt den blauen Hut von Clio Händen nahm/
Und alſo rechten Lohn deß Fleiſſes überkam/
In Prag der ſchönen Statt/ dabey ſein’ hohe Gaben
Auch Käyſer Carl der Vierd/höchſtrühmlich hat erhaben/
Der/ weil Er der Natur vorlängſt die Schuld erlegt/
Wird auß der alten Zeit nur blößlich angeregt.
So bleibt auch über das ja gleichſamb als verſchwiegen/
Wie noch der dritte Fürſt/ Phillppus, ſey geſtiegen/
Biß/gleichſam ins Geſtirn: wie/ durch ſein’ hohe Witz/
Er klüglich hab’ erlernt der gülden Sternen Sitz/
Und hierdurch abgemerckt/ja gleichſam als geſehen/
Wie es nach ſeiner Zeit/ in vielem werd’ ergehen/
Das/ſag ich/ allzumahl/laß ich an ſeinem Ort/
Mich reiſſet die Begierd zurühmen immer fort
Auch Ewre ſchönſte That das löbliche Verfahren/
In dem Ihr/noch bey den nicht auffgeklarten Jahren/
Schon Hülff vnd Schütz erweißt der zarten Muſen Schaar/
Und richtet widrumb auff/ was vor zerfallen war/
Das dann zu Ewrem Ruhm fort ewig muß gereichen:
So kan auch Ewer Glantz der Tugend nicht verbleichen/
Es leuchtet ſtets heran der Weißheit edles Gut/
Ewr Kunſtergebner Geiſt vnd vnbewegter Muth
Iſt hoch vnd weit berühmbt/ doch ſolt ich mehr mit Schweigen/
Als vngeübter Hand/ die Ehre Euch erzeigen/
Wärt Ihr nicht Götter Art/ als denen mehr beliebt
Der Sinn/ ſo trew beſteht/ als der viel Opffer giebt/
Und Golt ſampt Weyrauch bringt: Auch darff man ja wohl ſchrei- (ben/
Was Grund vnd Warheit iſt/ vnd ſolches einverleiben



Der

Der nach vns ſpätren Zeit. Diß ſag ich mit Beſtandt/
Das vätterliche Hertz zu Ewrem gantzen Land
Bricht je genug herauß/ in dem' Jhr beſter maſſen
Auch Jhme ſolche Herrn/ gedenckt zu hinderlaſſen/
Die Jhren Ahnen gleich an Sinn vnd Tugend ſeynd/
Das alles in dem Werck' vnd in der That erſcheint:
Es hat ja newlichſt erſt gantz Gieſſen angehöret/
Wie ſelbe/ ſo der Rhat deß Höchſten Euch verehret/
Nach beſter Redner Art/ ſchon bey ſo jungen Jahrn/
Jn Sprachen ſchön geübt vnd wohlbereder warn/
Doch mag vom gantzen Stamm kein Fürſt ernennet werden
So bald man recht ergründt ſein Hertz/ Witz vnd Geberden/
Zu dem nicht rühmlich wohl man gleichfals ſetzen kan/
Der war Alphonſus ſelbſt/ der Hector, der Trajan,
Und das nit bloß daher/ weil Sie deß Landes Erſprieſen
Befördert/ ſondern weiln Sie ſich belieben lieſen
Auch aller Weißheit Schätz: Jedennoch dieſer Zeit/
Gehts Wiederſpiel im Schwang/ da mancher offt beſtreit/
Es muß ein junger Herr ſein Haupt ja nit beſchweren/
Mit ſolcher Plackerey/ mit der ſich andre nehren/
Diß gehe Schulfüchs an/ wie man/ zu dieſer Friſt/
Die vnnambt deren doch nicht zu entrathen iſt.
Nein/ auch ein anders zeigt vns gleichſamb mit dem Finger/
Philippus groſſer Sohn/ der tapffre Welt Bezwinger/
Er Alexander hat zu Nachts an ſeinem Schwert
Homerus güldner Schrifft den nächſten Ort verehrt/
Gab hiemit zu verſtehn/ es wäre ſchwer zu trennen
Die Weißheit von der Stärck. Vnd muß man nicht bekennen
Daß je recht löblich iſt/ wer groſſe Sachen treibt/
Und ſolche ſelbſt hernach den Zeiten einverleibt/
Als Cajus Cæſar thät/ der wie er hat gekrieget/
Pompejus Macht zerſtrewt/ den Feinden angeſieget/
Entwirfft ſein' eygne Fauſt/ Er Cæſar iſt der Mann/
Der ſtreiten vnd den Streit ſelb ſelbs beſchreiben kan.
Und als vff eine Zeit auch reifflich wurd' erwogen/
Ob Büchern billig wärn die Waffen vorgezogen/





Sagt jener thewre Held/ in Waffen zu beſtehn/
Hab ich/ von anders nichts/ als Büchern abgeſehn.
Dann Polyphemus Stärck' vnd vngehewre Gröſe
Macht nicht den Handel auß/ das ſchnaubende Gethöſe/
Das pollrende Gepräng wird alles hie zu nicht/
Wo nicht der Weißheit Griff die beſte Wacht verricht.
Soll man im Richter-Stul mit Ruhm vnd Ehren ſitzen/
Soll man Gerechtigkeit handhaben vnd beſchützen/
Sa geht ein ſolcher Geiſt der Rechten rechte Bahn/
Wo aber da hinauß/ wan Kunſt nicht leiten kan?
Drumb muß/ nach güldner Bull/ Churfürſtlich hoher Ehren/
Und aller derer Würd'/ ein ſolcher auch entberen/
Der nit/ (wie denen Herrn es förderſt doch gebührt/)
Sich mit manch frembder Sprach vnd freyen Künſten ziert.
Ja kürtzlich/ wer noch denckt der Weißheit Lob zu nagen/
Den mag Alphonſus Red' auch wiedrumb frey beſchlagen/
Die Bücher taugen nicht vor eines Königs Sohn/
Sagt jener/ vnd dein Rath gleicht eines Ochſen Thon/
Gab' jhm erwehnter Fürſt zur Antwort: Könten weiter
Sie je zu nichts beſtehn/ als daß Sie eine Leiter
Zur höh'ren Tugend wern/ der niedren Demuth Steg/
Zur Leuthfreundſeligkeit ein wohlgebahnter Weg/
So wers doch billichs Thun dieſelbe zu erheben/
Und weiln Sie es dan ſeynd/ ſo kan man billich geben
Auch Jhnen Jhren Preiß: Ja wohl ein plumper Tropff/
Ein Stock/ ein Plock/ ein Stein/ ein vngehirnter Kopff/
Muß ſeyn/ der dieſes ſchmäht/ was an vnd mit ſich führet
Der Schönheit ſchönſten Glantz/ was Menſchen erſt bezieret/
Und recht zu Menſchen macht/ iſt das nicht eine Gaab
Der nicht zu gleichen iſt all Reichthumb/ Gut vnd Haab?
Vermögen/ Golt vnd Gelt ſeynd ja nur ſolche Sachen/
Welch' einen wohl was reich/ doch gar nicht klüger/ machen/
Sie ſchwinden mit der Zeit/ ſeynd flüchtig/ ohn Beſtand/
Jtzt dein/ bald jenes/ bald in eines dritten Hand.
Von jhnen kan man nicht/ was Bias konte/ ſagen/
Er ſprach/ mein Haab vnd Gut vermag ich mit zu tragen/

Das mich doch nicht beſchwert/was meynt Er aber hier?
Nicht Häuſer/Güter/Geldt/ bloß ſeiner Weißheit Zier/
Und Künſten Wiſſenſchafft: mit dieſen kont' er prangen/
Mit dieſen wuſt' er ja die Notturfft zu erlangen/
War Furchten frey/ gewiß/ daß durch der Räuber Schaar
Von Jhm' ein ſolches Gut nicht zu entwenden war/
So lang der Halß beſtünd'. Vnd wie kan / dieſer Jahren/
Man ſein ererbtes Geldt wohl ſicherer verwahren/
Als daß man vmb daſſelb' erkaufft dergleichen Gut/
Das Motten nicht verzehrn / dabey man ſicher ruht/
Und ehrlich ſich verſorgt? Laßt alſo jene bellen
Die deine/blinder Weiß ſich ſtets entgegen ſtellen/
Was ſelbſt ſie nicht verſtehn. O Ewer edles Blut
Trägt Weltbeliebter Fürſt/ weit weit ein andern Muth
Den nutzbarn Muſen zu/Jhr pflegt auff Pindus Höhen/
Wie droben ſatt erwehnt/nicht nur allein zu gehen/
Jhr führt/ wie bey der Hand/ die/ ſo deß Höchſten Rath/
Als ſeiner Güte Pfandt / Euch anvertrawet hat:
Jhr/Jhr erweiſet Euch gleich einem Künſten Vatter/
Jhr ſeyt ihr Heyl vnd Troſt/Schutz/Schirmer vnd Beſtatter/
Jhr Vormund/ trewſter Freund/ ihr Auffenthalt vnd Rath/
Jhr Beyſtandt/ ihr Gehülff' im Werck' vnd in der That/
Jhr heget ſolche Leuth/von denen man kan ſagen/
Daß Sie der Weißheit Schätz' im Mund vnd Hertzen tragen/
Vnd alſo reichlich zwar daß wohl vom Vberfluß
Jns künfftig mancher würd' empfinden deß Genuß/
Wird embſig als ein' Bien von jhren Lippen tragen
Den honigſüſſen Thaw/wird auff vnd nieder jagen/
Wird ſamlen weiln Er kan/wird erndten in der Zeit/
Wird nehmen was Jhm' hat deß Herren Gunſt bereit.
Nun daß es dann nach Wundſch mög' allerſeits gedeyen/
So wölle GOTT der HERR vom Himmel ab verleyhen
Sein Segenreichen Spruch/ ſein immermilde Hand
Erhalt' Euch/Cron deß Stams/zuſampt dem gantzen Land/
Ewr Fürſtlich hohes Hauß das wöll' Er vnderbawen/
So kräfftig vnd ſo ſtarck/ daß man mög' herzlich ſchawen

Die



Die Seulen in der Reyh / auff denen es beſteh/
Vnd eh als mit der Welt ja nicht zu ſcheitern geh.
Den Kunſt-Baum wöll' auch Er von obenher vmbleuchten
Mit ſeinem Gnaden-Blick/ den Wurtzel-Grund befeuchten
Durch ſeiner Liebe Thaw/Er gebe ſeine Gnad
Zu dieſem Edlen Baum/früh/Morgends/Abends/ſpath/
Daß Er/nach beſtem Wundſch/nach Willen vnd Behagen/
So lang mög' auffrecht ſtehn/ vnd ſeine Früchte tragen/
So lang am blawen Tach des hohen Himmels ſteige
Der Sonnen güldnes Rad'/ vnd ſich hinwiedrumb neige
Nach Amphitritens Hauß/ ſo lang ein Adler dringet
Hin durch die hole Lufft/ ſo lang ein Schwan beſinget
Sein ſtzt jtzt nahen Todt/ ſo lang man denckt zurück/
So lang geb' vnſer GOtt Krafft/ Wolfahrt/ Heyl vnd Glück.

---

AD

*SERENISSIMUM ET CELSISSIMUM*
*Principem ac Dominum,*

DN. GEORGIUM II. HASSIÆ
LANDGRAVIUM &c.

*ACADEMIÆ hujus INSTAURATOREM.*

QVIs GIſſæ refoVet MVſas? Vah tVte GeorGI
Has reVoCas, at te qVIs foVet? Ipſe DeVs.

Palindromon incluſo Teleſticho.

*THeſſiades, duce Te, conſcendunt pulpita* GISSÆ,
*Vindice Te, redeunt Pallas & Eunomia.*
*Cattigenæ mera laus gentis, Dux Inclyte, ſurgis,*
*Poſtera laudabit Te pia progenies.*
*PerſVgIVM tIbI sIt IesVs, paX, anChora, VIta,*
*Integra ſtIrps sVbIto ne tVa DIſpereat.*

GRAMMA.

Georgius II. Heſſiæ Landgravius, Inſtaurator Lumenque
Univerſitatis Giſſenæ.

*Ana*

*Anagramma incluſo Eteoſticho.*

Oh es LaVs ataVIs InsIgnIs, VIrqVe ſVaVIs,
GLorIa GerManæ gentIs VIrtVte tenIDes.

*Ad celeberr. Academiam Giſſenam.*

GRAMMA.

*Academia Giſſenſis purè reſtaurata.*

Anagramma.

*Ara reſignata es Muſis ac edita rupes.*

Epigramma.

A*Ra reſignata es Muſis ac edita rupes,*
Dequa proſpiciunt Suada, Minerva, Themis,
Quam recolunt Phœbus, Charites & turba Novena,
Hinc te Parnaſſum ſupicor eſſe novum.

*ACADEMIA GISSENA INSTAURATA.*

*Ἀναγραμ.*

En area {à gnatis / agnatis} Muſæis dicata.

Q*Veis ſit, & à quibus hæc Giſſenſis aperta Palaſtra*
*Noſſe cupis, rutila quam nunc perfundit arena*
*Docta cohors Juvenum, vocitat quos* Pallas *alumnos?*
En *eſt* à gnatis Muſæis area *celſis*,
Agnatis *itidem Muſarum rite* dicata,
*Gnatis, agnatis bene ſit, Dominoq́; Palaſtra.*

Academia GISSENSIS à Sereniſſimo atq; Celſiſſimo Principe & Domino, Domino GEORGIO, Haſſiæ Landgravio &c. Jehovah rectè annuente, rurſus inſtaurata.

*Exactè ἀναγραμματίζεται.*

H Oc Muſæ ſolio reſidens ac magna Minerva,
Hæc & iis verè eſt Pindus, amœna domus.
Jo! ferâ ſerie ſeros perſiſtat in annos,
Acri qui dono hìc ſignat, agitve legit.

*Ad*



*Ad Inclutam GISSAM.*

*Giſſa* li cet celebris celebri *Mavorte* niteſcas,
Clarius à *Phœbo* nomen at ipſa geres.

Colloquium Phœbi & Martis.

P Hœbus *ut intravit præclara mœnia GISSÆ,*
Mars *ipſum tali fertur adiſſe ſono,*
*Huc cur,* Phœbe, *redis noſtras inopinus ad oras,*
*Accola num nobis ſuavis, an aſper, eris?*
*Cui reſponſa dedit, non aſper, ſuavis, amicus*
*Sum tibi, mi* Mavors, *ipſe futurus, Ego*
*Conſiliis vigilabo meis, tu fortibus auſis*
*Nitere, ſic ſtabit Duxq́; domusq́; Ducis.*

Colloquium Apollinis & Momi.

*Momus.* G Rajas, dic quæſo ſedes cur linquis *Apollo,*
Dic cur Cattorum vis habitare ſolo?
Græcia fluminibus, ſcatebris, florentibus arvis,
Vallibus ac hortis, monticulisq́; ſcatet,
Sunt ibi frugiferæ ſylvæ, viridantia prata,
Nil niſi delicias Theſſala terra parit.
Aſt ager Haſſiacus non ſeſe comparat illis,
Hic tibi non *Helicon* nec quoq́; *Pindus* erit.
*Apollo.* Præſcio, delicias, ſed gens has barbara ſpurcat,
Sit Schola Giſſenſis quod mihi *Pindus* erat,
Me fidus *Teuto*, non *Thrax* truculentus, habebit,
Hunc amo qui redamat, quo redameris, ama.

Dactiliſches Freuden-Gedicht
An
Die löbliche Veſtung Giſſen.

I.

G Iſſen / du Fürſten Statt / frew dich der Ehren /
Frewe dich deines erſprießlichen Stands /
Deiner Bitt hat dich anietzt zu gewehren
Gäntzlich entſchloſſen der Vatter deß Lands /

 Dein

Dein hieſige Veſte
Beſuchen die Gäſte/
Die Phœbus erhält/
Sie kommen gelauffen/
Vnd wollen einkauffen
Köſtliche Waaren/das ſchönſte der Welt.

2.

FRew dich/es haben die Heliconinnen,
Phœbus vnd Pallas ein Fürſtliches Zelt/
Nebenſt ſo vielen erleuchteten Sinnen/
Ihre Behauſung anhero geſtellt/
Hie dencken zu fuſen
Die liebliche Muſen
Auff hieſigem Grund/
Hie wollen Sie ſitzen
Auff Helicons Spitzen/
Frewe dich dieſer erwünſcheten Stund.

3.

FRewe dich frewdig vnd dencke nicht minder/
Daß nun auch werden/in künfftiger Zeit/
Deine zur Wiſſenſchafft tüchtige Kinder
Füglichen nacher dem Pindus geleit/
Da können auch ſelbe
Das hohe Gewölbe
Der Ehren durchgehn/
Da können Sie gleichen
Den grünenden Zweigen
Welche bey Caſtalis Brünnelein ſtehn.

4.

FRewe dich deſſen/du Fürſtliches Giſſen
Muſen Bewirterin/dapfferer Ort/
Vnd daß es möge zum beſten erſprieſſen/
Gebe der Himmliſche Schirmer vnd Hort/
Der wölle verleyhen
Ein völlig Gedeyen/

Vnd

Vnd laſſe dazu
Dich löbliches Gieſen/
Hinförter genieſen
Aller erfreulichen friedlichen Ruh.

Von Seinem gnädigen Fürſten vnd Herrn zu vnderthänigen Ehren auffgeſetzt
ANDREAS Kauſſen/von Hanaw/LL. Stud.

## IX.

GEORGIUS HASSIÆ LANDGRAVIUS
et Heros gratioſiſſimus eſt prælargus Univerſitatis noſtræ
GISSENAE RESTAURATOR et reparator

*Anagramma* (demta tamen unica litera A.) *exhibens Carmen quod annum reſtaurationis* ACADEMIÆ GISSENÆ *continet.*

HaſsIs reſtItVIs rVrſVs GENEROSE GEORGI, 19
MVſas LargItas GIeſſæ regnante RVDoLpho 1611
TV IoVa tVtaIs reparatas eIa rIte 19
Re noſtras *Summa* 1650

## GISSA.

*Gratuitò Gieſſam, Gemmâ Generoſe Georgi,*
*Genteq; Grynæi per Gratâ Glorificaſti:*
*Giſſa Gerit Gremio, Gazam Gratam; Glomeratur*
*Gorgeneas Guttas Guſtans Grex, Gloria Gliſcat*
*Grynæi! Gaudens Generoſo Giſſa Georg(I)o*
*Gratatur: Grandeſce Gregem Gravitate Guberna.*

Gratulabundus Gratabatur
*Eberhardus Fabricius, Haſſus.*

## X.

# Dactyliſches Frewden-Gedichte/

## Als der Giſſiſche Univerſität Introduction vorgangen.

FRewe dich Giſſen vnd jauchze mit Schalle/
Liebliches Muſen-Volck frewet Euch alle/
Phœbus den güldenen Zepter vnd Kron
Zeiget/vnd ſeinen ſehr prächtigen Thron.
Frewe dich Giſſen/die Göttinnen kommen/
Haben hierhero den Weg ſchon genommen/ Wollen

Wollen hier ſchweſterlich wohnen vnd ſeyn/
Lieber/als droben/nicht ferne vom Mayn.
Giſſen war newlich der argen Bellonen/
Jetzo die Neune der Muſen da wohnen/
Giſſen hat jhnen vor andern beliebt/
Wurde ſchon Marpurg darüber betrübt.
Weil dan die Muſen ſich haben geſetzet/
Werden viel tauſend darüber ergetzet/
Singen vnd ſpringen/ vnd bringen in Ruh
Dieſen/ vnd folgende Tage recht zu.
Preyſen den HERRN der Himmeln vnd Erden/
Daß ER vns wiederumb frölich läſt werden/
Daß wir vergeſſen das vorige Leyd/
Nunmehr genieſend erhoffeter Frewd.
Preyſen die Fürſtlichen hohen Genaden/
Daß Sie die Giſſer/ vorhero beladen/
Voriger Dinſten vnd Treue belohnt/
Daß nun die Muſen-Schar luſtig da wohnt.
Schöpffer des runden gewölbeten blawen
Wolleſt genädiglich laſſen hier ſchawen/
Deine barmhertzige ſegende Hand/
Uber das übel zeriſſene Land.
Wolleſt das wichtige Werck dirigiren/
Anfang das Mittel vnd Ende ſo führen/
Daß der den Muſen erwehleter Ort
Grüne/ daſelbſten das Göttliche Wort.

*Anno*

EIa IaM noſtrIs reDIIt pax aVrea terrIs.
TeVton ſVb fICV poſt IbI tVtVs erIt,

Eylfertigſt ſetzte dieſes

J. H. Seip, Præcept. Claſſicus
Darmſtatinus.

*F I N I S.*

# ARA VOTIVA,

*ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,*

# DN. GEORGIO II.

## HASSIÆ LANDGRAVIO, COMITI IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA, YSENBURGO ET BÜDINGA, &c.

*DOMINO MEO CLEMENTISSIMO*

ILLUSTREM ACADEMIAM

# GISSENAM

*PERQUAM CLEMENTER RESTAURANTI ERECTA*

MANU HUMILIMA MENTE SUBJECTISIMA

*JOHANNIS JUSTI WYNKELMANNI,* HISTORIOGRAPHI.

ILLUSTRISSIMUS CELSISSIMUSQUE
PRINCEPS AC DOMINUS,
DN. GEORGIUS SECUNDUS,
CELEBERRIMORUM HEROUM
MAGNANIMI ILLIUS
PHILIPPI SENIORIS
ACADEMIÆ MARPURGENSIS
Poſt DEUM
PRIMI PARENTIS,
PRONEPOS,
PIENTISSIMI ILLIUS
GEORGII PRIMI
NEPOS,
DEO ET CÆSARIBUS
FIDELISSIMI ILLIUS
LUDOVICI QUINTI
ATHENÆI GISSENSIS FUNDATORIS
ET
ACADEMIÆ MARPURGENSIS RESTAURATORIS
FILIUS,
HASSIÆ LANDGRAVIUS, COMES IN
CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIGENHAINA,
NIDDA, YSENBURGO & BUDINGA, &c.

| | |
|---|---|
| VIrtVtIs PatronVs, | 17 |
| IVstItIæ assertor, | 8 |
| ACaDeMIæ GIssensIs | 1603 |
| RestaVrator | 5 |
| Et | |
| nVtrItor | 6 |
| VIVat! | 11 |
| | 1650 |

Univ. Bibl.
München

VIVat ApoLLo noVVs! VIVant HeLIConIs ALVMnæ! 1639
Et SChoLa GIſſensIs CeLebrIs noVa fIat In OrIs! 11
1650

*Sydus; Capra; Leo; rutilans; clamoſa; reſurgens;* *Alluſio ad*
Luceat *hoc* Chriſto; & *hæc* verbi paſcua carpat; *inſignia*
*Hic* defendat Apes dulciſſima mella legentes: *Haſſiaca.*
Sic voveo: Votum tu conſummato JEHOVA!

# Glückwünſchendes Gedicht/

## In der Eyl verfertiget/ als den 5. Tag Maij 1650. die Giſſiſche Univerſität introducirt worden.

ES hat der Phoebus und der guldnen Sonnen-Wagen
Die Lenz-beglenzte Zeit zu uns herangetragen/
Die hat die ſchwanger' Erd' eröfnet weit und breit/
Daß alles Knoſpenvoll iſt auf dem grünen Kleid.
Hierauf der reiche Herbſt ertheilt in allen Landen
Die nutzbereifte Frucht mit hüllgefüllten Handen
Dem Menſchen zum Gebrauch; die nimt er dankbar an/
Und preißet Gott den HErrn/ ſo hoch er immer kan.
Hört! Hört ihr Muſen-Volk! wir ſehen beſſer blinken
Der Sonnen guldnes Licht/ ſamt ihrer Sternen Winken/
In dem das Haupt der Welt/ der große Ferdinand.
Den Tugend-Glanz gebracht in unſer Heſſen-Land.
Durch deſſen Straalen-Schein/ der Heſſen-Fürſt erbauet
Ein rechtes Muſen-Hauß/ das durch Europen ſchauet;
Wordurch nicht wird geſucht der Heſſen Nutz allein/
Beſondern Deutſchen-Land darmit bedient zuſeyn.
In dieſen Garten kan man ſolche Pflanzen ſetzen/
Die Süden/ Weſten/ Nord und Oſten thun ergötzen.
Lezt war die Giſſer-Schul durchs gantze Deutſcheland
Vor andern (keine ſonſt verachtet) hochbekant.

Es

Es werden minder nicht durch Gottes Segen blühen
Die Künſte förders hier / daß frommer Leut' Erzuhen
    Ihr allerliebſtes Pfand / die Kinder ins gemein /
    So rühmlich / daß ſie balt den Ländern nutzlich ſeyn.
Es wächſt die ſchönſte Frucht in ſolchen Tugend-Garten
So wurzelt tief gepflanzt von treflichen Gelahrten /
    Die wunderſchöne Thür ſteht offen allenſamt /
    Der Muſen Schmuck und Zier / der Schulen Treues
Iſt / durch die Wiſſenſchaft und andern vielen Sachen (Amt
Die Tugendpflänzelein ganz vollenkommen machen.
    Wer in der Meyenzeit ergreiffet Kunſt und Lehr /
    Der wiſſe / daß dardurch Gut / Reichthum / Glück und
Allein geerndet / und im Herbſte ſeiner Jahren (Ehr'
Wird Lob und hohen Ruhm ſamt Ehren Frücht' erfahren:
    Die Tugendfrücht und Blüht' im Winter alzeit grünt /
    Und ſich der rühmlichen Unſterbligkeit erkühnt.
Wer wolte nicht hieraus die hohe Gnad' erkennen?
Ohn dieſes wehr' er ja der Undank ſelbſt zunennen:
    Was meiner Kräften iſt / ſo ſing' ich dir O Liecht
    Ein Lob-ein Preiß-ein Ehr-ein frölichs Dank-Gedicht.
Dem / der mit Treuen meint / dem der die Schulen zieret /
Der als ein Vatter-Herz ſein Volk wol wol regiret /
    Für ſolche Gütigkeit / für ſolche hohe Gnad /
    Sagt Dank das Land / das Volk / die Muſen-Schaar /
die Stadt.
Diß Kunſtgepflanzte Schul woll' allen treflich nutzen!
Der Himmel wolle ſie für allem Unfall ſchutzen!
    Und gebe / das die Saat kornſaftig wol geling' /
    Auf daß das gute Feld viel reiche Früchte bring!